




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [1] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [3] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [4] - -

JOANNIS RAPHSON,

ANGLI,

DEMONSTRATIO

DE DEO

SIVE

METHODUS ad COGNITIONEM

DEI NATURALEM

Brevis ac Demonſtrativa.

Cui accedunt

Epiſtolæ quædam Miſcellaneæ.

De Animæ Natura & Immortalitate,

De veritate Religionis Chriſtianæ, p. 147. p.

De Univerſo, &c. (Vide Acta Eruditorum A. 1712. pag. 62.)

אהיה אשר אהיה

Juxta exemplar excuſum Leibnitius notatur p. 100.

LONDINI,


Sumptibus JO. FRID. GLEDITSCH

ET FILII, Bibliop. Lipſienſ.

M. D. C. C. XII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [5] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [6] - -

Nobilissimo Illustrissimoque

DOMINO,

DN. CAROLO

COMITI de SUNDER-LAND, BARONI de WORM-LEIGHTON, &c.

MAJESTATI REGIÆ

SECRETARIO PRIMARIO,

NEC NON

A SECRETIORIBUS CONSILIIS, &c.

Opellam hancce

De SUMMO NUMINE

Maxima (qua par est) Observantia,

Dicat Consecratque

D. Vræ. Cultor Devotissimus.

JO. RAPHSON.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [7] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [8] - -

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PAuca admodum sunt, quæ Lectorem monitum esse velim; me scil. in sequenti Tractatu cum primis brevitati consuluisse, utique non mole, sed momentis argumentorum res agenda est; quapropter non deductione operosa, quæ Lectorem nimium moraretur, sed rationibus brevissimis & maxime perspicuis rem aggressus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [9] - -

ſum. Ens aliquod dari æternum mecum etiam Hodierni Athei & (ſi qui ſint) futuri agnituri ſunt omnes; an vero *hocce Ens* Materia ſit necne, rationibus ex ejusdem Natura petitis disquiſitionem inſtituere jam olim mecum conſtituiſſem, & non conjecturis, aut plauſibiliore veriſimilitudine, aut Rhetoricis Expoſtulationibus, ſed firmiſſimis argumentis agere; & in hiſce hoc, ni fallor, conſequutus ſum, ſcil. ut facili & certiſſima methodo ad illud τὸ πᾶν Tranſcendentale & Infinitum, tam quid ſit ex parte, quam an ſit omnino, cognoſcendum manuducamur; unde etiam ad finita, quatenus poſſibilia, pariter cognoſcenda a priori

priori patet aditus, ſcil. Quænam, qualisque Naturæ, Subſtantiæ exiſtere poſſint, ſeu ſint poſſibiles, & *Extenſionem* intrinſecam exiſtendi pro ſubſtantiis conditionem eſſe, contra ea quæ quidam ſuggerunt, oſtendimus. Synthetico Geometrarum more proceſſimus, non quod ea demonſtrandi forma aliquid ad vim demonſtrationis conferat, ſed Errores (ſi qui ſint) in contexendis demonſtrationibus facilius in eadem deteguntur, ab iis ſaltem, qui hujusmodi demonſtrationibus aſſueti ſunt; ſive enim ipſa vacillent Principia, ſive deducendi ratio vitioſa ſit, demonſtratio concidit.

Quod ad ſequentes Epiſtolas

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [11] - -

attinet, alio longe modo res ſe habet; demonſtrationem in plerisque minime præ ſe ferunt, neque enim, ſtricte loquendo, haberi poteſt; quæ mihi veriſimiliora viſa ſunt ſolum propono, in quibusdam nihil ultra conjecturam obtuli; Qualiacunque demum ſint, ea omnia Doctiorum Judiciis, & *Ecc. Angl.* Cenſuræ lubentiſſime pariter ac humillime ſubjicio.

SYNOPSIS

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [12] - -

SYNOPSIS
SEU
RATIO OPERIS.

PARS PRIMA.

ENs a seipso *Existit necessario æternum, Independens, Infinitum, Unicum, summe perfectum (seu in Infinita sua plenitudine omnia, uti loquuntur, eminenter complectens seu præhabens, seu) omne quod est aut esse possit;* Unde emergit hocce Corollarium, viz.

Ut si aliquid Causet Extra seipsum, ex eo quod summe sit perfectum, seu omne quod est aut esse possit, seu ipsa entitatis omnigenæ tam possibilis quam Existentis prototypõs summa perfectissima & Infinita, hinc, inquam, necessario sequitur, ut Causata Causam referant, seu ut causæ primæ omnia quodammo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [13] - 9

dammodo sint Imagines; neque enim Creaturæ produci possint a Causa, quæ earundem perfectiones Essentiales in sua Essentia non Involvat seu Exprimat. Unde,

PARS SECUNDA.

Ex datis Universalissimis eorum quæ sunt, quibusque Existentia ex sua Natura (Stil. ex criteriis hujuscemodi Existentiæ dignoscenda) non competit, uti sunt extensio *&* actio *Finitorum (Infinitatis tamen* capaces*) itur ad naturam Transcendentalem* Entis a seipso, *seu ad Deum, seu Primæ Causæ Natura (licet inadæquate tamen verissime) patefacta est.* Unde

Ex Descriptione hujusce Entis hactenus demonstrata, Impetrato Infinitatis auxilio ad Naturam actuosam seu activam applicatæ, Intensionis seu Intensitatis Infinitæ Doctrina profluit, adstruitur, ac demonstratur, & Corollaria quædam inde dependentia deducuntur, & hinc ad descriptionem generalem devenitur; hinc, seu ex hisce, denique omnia quæ de Deo Naturaliter sciri queant, posse erui.

DEFINITIONES.

1. *Finitum* dicitur, quicquid actu undequaque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [14] - 10

quaque terminatur; ſive eſſentia, ſive actione (ſeu mavis activitate) ſeu quovis alio modo; ſeu quod limites undequaque habet ſuæ eſſentiæ, actionis, &c.

Hinc autem liquet *finiri*, ſeu *finitum eſſe*, qua tale, nihil *poſitivi* notare, ſed tantum *negationem* amplioris eſſentiæ, exiſtentiæ, potentiæ, &c. iſtius rei quæ dicitur Finita; ſeu quod ejusdem eſſentia, exiſtentia, &c. ultra certos quosdam & definitos limites non procedat, agat, vel utcunque protendatur.

2. *Infinitum autem in ſuo genere* ſeu ſimpliciter dicitur, quod actu in eo genere interminatum eſt, ſeu quod nullis in eo (quodcunque ſit) genere, ſive in ea (quæcunque ſit) Natura, limitibus poteſt includi, uti Infinita Extenſio, Actio, vel Cognitio (ſi detur) actu Infinita, &c.

COROLL.

Hinc duo Infinita in eodem genere eſſentia diſtincta dari non poſſunt.

3. *Abſolute* autem *Infinitum*, quod nullis in ullo genere limitibus aut terminatur, aut terminari poſſit concipi.

SCHOL.

SCHOL.

Hic de Infinito potentiali, ſeu Mathematico, uti in ſeriebus, &c. & Extenſorum (qua talium) diviſibilitate ſive Mathematica, ſive Phyſica de Indefinitis uti duratione finitorum & id genus aliis, &c. non agimus.

4. *Ens a ſeipſo* eſt, quod vi ſuæ naturæ (h. e. ſuæ Eſſentiæ) exiſtit.

Vim autem Exiſtendi in ſua natura involvere, idem eſt ac neceſſario exiſtere.

POSTULATUR CONCEDI.

1. Aliquid Exiſtere.

2. Omne finitum poſſe ut non exiſtens concipi.

3. Omne finitum (qua tale) majus & minus in eodem genere poſſe admittere, ſeu majus & minus vel dari vel concipi poſſe. Poſtulatum hocce uti Corollarium definitionis primæ admitti potuiſſet.

AXIOMATA.

1. Nihil nil poteſt.

2. Nil fit absque Cauſa determinata.

Hinc obiter ſors ſeu caſus, i. e. Cauſæ determinatæ Negatio peſſime pro Cauſa rerum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [16] - 12

rerum ab *Epicureis* ſubſtituitur; cum nihil in rerum natura poſitivum, ſed tantum ignorantiam loquentis exprimit.

3. Quicquid eſt, aut a ſe eſt, aut ab alio.

PROP. I.

Ens a ſeipſo Exiſtit.

DEM.

Aliquid Exiſtit per poſtulat. 1m. Sed nihil nil poteſt per Ax. 1. Ergo aliquid Exiſtit a ſeipſo, hoc eſt, *Ens a ſeipſo* (quodcunque illud ſit) *Exiſtit*. Q.E.D.

SCHOL.

Hoc neceſſario verum eſſet, licet concederetur vel proceſſus Cauſarum ad Infinitum, vel etiam Cauſarum Circulus. In primo Caſu *Ens a ſeipſo* Exiſtens (niſi quis Non-ens pro Rerum Cauſa poneret contra Ax. 1.) coefficiens eſſet cum ſerie Cauſarum Infinita, ſeu coexiſteret cum omnibus ſuis quomodocunque effectis; in ſecundo autem unumquodque confectum eſſet a ſeipſo, & tamen non a ſeipſo, quod Implicat. Hoc porro modo idem a quibusdam olim illuſtrabatur, *Si datur*, aiebant, *progreſſus cauſarum ad Infinitum, erunt*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [17] - 13

erunt omnia quæ ſunt, etiam Cauſata; atqui nulli quod cauſatum eſt competit vi ſuæ naturæ exiſtere; Ergo nihil eſt in Natura, ad cujus eſſentiam pertinet neceſſario exiſtere: Sed hoc eſt abſurdum, ergo & illud. Hinc ſaltem, addit quidam, *evincitur, quod res, quæ ſua natura non neceſſario Exiſtunt, determinari ad Exiſtendum a re ſua Natura neceſſario exiſtente.*

PROP. II.

Ens a Seipſo quicquid ſit (ſeu quodcunque demum ſit) per ſe eſt, ſeu ex ſua natura.

DEM.

Hoc e priori directe profluit, & ut ejusdem Corollarium admitti potuiſſet; cum enim ut *Ens a ſeipſo* ſuam a ſe Eſſentiam habeat neceſſe eſt, & vi illius eſſentiæ exiſtat, neceſſario ſequitur, ut, *quodcunque* demum inveniatur eſſe, totum id a ſeipſo habeat, non vero ab alio, hoc eſt ut quicquid ſit per ſe ſit, non vero per aliud, quod definitioni ſuæ plane repugnaret. Unde &c. Q.E.D.

SCHOLIUM.

Hinc porro hocce *Ens* (ſenſu ſtrictiſſimo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [18] - 14

ſimo ἄυτο-ον) plane diſtingueretur ab aliis, ſi quæ eſſent, quæ Exiſtentiam quoque æternam participarent vi rei cujusvis alterius e. g. vi ſuæ cauſæ, uti quibusdam, de rebus productis (ut loquuntur) per Emanationem, viſum eſt; ut & a Modificationibus (ſeu Modis *Spinozianis*) æternis, quæ æternam dependentiam, ſeu potius ſubordinationem ſuo more ſapiunt; Hujusmodi ergo Ens primariam *Subſiſtendi per Seipſum* rationem in ſua eſſentia neceſſario & immediate includit.

PROP. III.

Ens a Seipſo *eſt Abſolute & ſua Natura Æternum, ſeu* (quod eodem redit) *ex neceſſitate ſuæ Naturæ exiſtit.*

DEM.

Cum enim, per Ax. 1. nihil nil poſſit, & cum per Prop. 1. Tale Ens revera Exiſtit, Propoſitio ſtatim patet, ſeu neceſſario ſequitur. 1°. quod ſit æternum; aliter enim *Ens a Seipſo* produceretur vel (per Ax. 3^m.) a Seipſo quod repugnat, quia eſſet antequam eſſet, ſeu eſſet & non eſſet ſimul, quod implicat; vel ab alio, &

ſic

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [19] - 15

sic non esset *Ens a Seipso*, quod definitioni suæ contrariatur, Ergo &c. Sed & porro (vi Prop. 2.) ex sua Natura æternum est, *h. e.* per Def. 4. Ex suæ Naturæ necessitate existit. Q.E.D.

COROLL. I.

Hinc sequitur, quod tale Ens erit absolute *Independens*, seu sibimet ipsi sufficiens, nihil aliud præsupponens, nihili Indigum, *summe necessarium*, seu quod *non Potest non Esse*, ac proinde quod *non possit ut non existens concipi*, utpote cujus essentia existentiam involvat.

COROLL. II.

Unde etiam 2do. Sequitur quod Quicquid aliud aliquid a se distinctum (cujuscunque sit generis) præ-supponit, veluti ad suam existentiam necessarium vel quomodocunque prærequisitum, non Existit a Seipso; sed eo ipso vel absolute vel hypothetice ab illo alio dependet; neque quidem refert, vel re differt, quoad rei Existentiam, sive dependentia illa absoluta concipiatur, sive tantum Conditionalis, modo quomodocunque dependeat, non erit (stricte loquendo) a Seipso.

COROLL.

COROLL. III.

Hinc quoque ſequitur, quod Eſſentia hujuſce Entis omnes perfectiones involvit, quæ *Exiſtentiam a ſeipſo, ſeu neceſſariam* conſequuntur, quarum præcipuas quasdam in ſeqq. Prop. enumerabimus.

SCHOL.

Huc tendant neceſſe eſt inter Philoſophos, qui per gradus *inſufficientiæ Creaturarum* ſibi mutuo ſubordinatos, ad *quid ſibi ſufficiens*, veluti ſcala quadam a poſteriori conſcenderunt; Scalam autem hujusmodi Infinitam ſibi fabricaverit *Spinoza* Prop. 28. part. prim. Suæ *Ethices*, pag. 25. hoc eſt Infinitam Cauſarum Seriem, in genere Cauſationis, ſibi mutuo Subordinatarum, quarum nulla Natura prima eſt, ſubſtituerit; adeoque ut in *nihil* Infinite diſtans, vel in Infinitam Naturam deſinat neceſſe habuit, quam revera haud Clandeſtine pro *Deo* Lectoribus ſuis propinaverit; Talis autem Scala, licet ſatis genuine vel a primo ad ultimum, vel a primo ad Infinitum procedat, a dato tamen termino quovis reali ad nullum retro natura primum, in Serie Cauſationis, procedere

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [21] - 17

non posſit, quia in nihilo (licet Infinite diſtante) deſineret, ſed nihil nil poteſt, &c. aut in Cauſatorum ſine Cauſa ſerie Infinita, quod, uti ſupra innuimus, implicat, Ex eo quod omnia eſſent Cauſata, &c. æternitas autem *Entis a Seipſo* melius & magis adæquate per Infinitam ejusdem exiſtentiam quam per durationem & concipi & exprimi poteſt; licet per durationem, quatenus initio & fine carere concipiatur, facilius forſan (ſiquidem omnino) adumbrari ſeu illuſtrari posſit, reſpectu cujus (durationis ſcil.) tempus omne finitum (utut Longum) non niſi ut pars infiniteſima ad ſuum relative Totum, ſeu ut unitas ad Infinitum, æſtimari debet.

PROP. IV.

Ens a Seipſo (quodcunque demum ſit) neceſſario ſeu ex ſua Natura Infinitum eſt.

DEM.

Ex tribus Corollariis Propoſitionis præcedentis ſcil. quod *Ens a ſeipſo* abſolute ſit Independens, quod nihil aliud præſupponit, quod omnes neceſſario involvat

volvat perfectiones, adeoque & *Eſſentiam ſine reſtrictione ſeu limitibus*, ex poſtulato ſecundo patet. Q.E.D.

ALITER.

Sed ut rem ſpecialius aggrediamur, hoc modo, id accipe; Omne finitum, per poſtulatum ſecundum posſit ut non Exiſtens concipi, ſed (per Coroll. primum Prop. præced.) Ens a Seipſo non posſit ut non Exiſtens concipi, Ergo Ens a Seipſo non eſt finitum, *h. e.* Ens a Seipſo Infinitum eſt, & per Prop. 2. primario (ſeu ex ſua Natura) tale. Q.E.D.

ALITER.

Non poſſe non eſſe Enti a Seipſo competit (per Coroll. 1. prop. præc.) ſed *non poſſe non eſſe* enti actu Infinito * Competit, Ergo Ens a Seipſo actu Infinitum eſt. Q.E.D.

Quod hæcce duo Prædicata maxime ſint ſingularia, de quibus τὸ illud *non poſſe non eſſe* prædicatur, vix operæ pretium erit oſtendere.

* *Vid. Spat. Real. c. 3.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [23] - 19

COROLL.

Omnia Finita qua talia non eſſe a Seipſis.

SCHOLIUM.

Uti quidem nexus vere Indiſſolubilis datur inter id quod ſumme ſeu abſolute neceſſarium eſt, & id quod actu Infinitum eſt, ſic etiam & inter illud quod Infinitum eſt, & illud quod ſua Natura æternum eſt, ſeu quod Infinitam exiſtentiam, h. e. abſolutam exiſtendi neceſſitatem ſibi vendicat; Vis enim exiſtendi limitata finiti propria eſt, & non-exiſtentiam poſſibilem aperte ponit. Non male quidem hoc in Caſu *Spinoza*, Epiſtol. 41. *Contradictio eſt aliquid cujus definitio exiſtentiam includit, aut (quod idem eſt) exiſtentiam affirmat, ſub negatione exiſtentiæ concipere. Et quoniam determinatum nihil poſitivi, ſed tantum Privationem exiſtentiæ ejusdem Naturæ, quæ determinata concipitur, denotat, ſequitur id, cujus definitio exiſtentiam affirmat, non determinatum poſſe concipi.* Revera Conditioni exiſtendi (æque ac reciproce) Conditio eſſendi neceſſario correſpondet, & exiſtentiæ cujuslibet generis, eſſentia Exiſtentis commenſa

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [24] - 20

menſa eſt ac adæquata h. e. Exiſtentiæ tantum poſſibili Natura ſeu eſſentia tantum convenit poſſibilis ; uti reciproce, eſſentiæ ſeu Naturæ tantum posſibili exiſtentia poſſibilis tantum competit & adæquate correſpondet ; uti ergo exiſtentia poſſibilis ſe habet ad id quod *finitum* eſt, ſeu ad id quod (per poſt. 2^{dum}) poteſt ut *non exiſtens* concipi, eodem modo ſe habebit exiſtentia neceſſaria ad id quod non poteſt ut *non exiſtens* concipi, h. e. ad id quod *Infinitum* eſt. Ex hoc ergo ſolo quod Ens a ſeipſo neceſſario exiſtit, ſequitur quod neceſſario Infinitum eſt. reciproca enim ſunt *neceſſitas* & *abſoluta Infinitas*, ſeu ipſa illa ratione, qua nullum ens finitum eſt abſolute neceſſarium, ens abſolute neceſſarium erit Infinitum.

Ex Independentia quoque hujuſce entis, ejusdem Infinitas neceſſario conſequetur, ex Coroll. 1$^{mo.}$ Prop. 3^{tiæ,} Ex eò ſcil. quod hocce ens nihil aliud præſupponit, &c.

Ex gradibus porro perfectionis idem (quibusdam forſan elucidatius) apparebit, (neque enim hocce nimis elucidari posſit) cum enim abſolute *non poſſe exiſtere*

stere contradictionis nota sit, illud *τὸ posse existere* perfectionis finitæ rationem (si ita loquar) fundamentalem exprimit; unde *non posse non existere* perfectionem seu realitatem ultimam, h. e. Infinitam denotat; & eodem modo (& quidem absque metu Circuli concludendum) quo vera, primaria, ac absoluta Infinitas existendi necessitatem ponit (eodem inquam modo) existendi necessitas Infinitatem secum confert, & in re prorsus sunt reciproca; hoc modo id a *Spinoza* (sub init. op. posth.) illustratur, & quidem hoc in casu satis vere, *cum posse existere potentia sit, quo plus realitatis alicujus Rei naturæ competit, eo plus virium a se habere, ut existat; adeoque ens absolute Infinitum, sive Deum infinitam absolute potentiam existendi a se habere, qui propterea absolute existit.* Cum enim Ens ex sua Natura non-necessarium h. e. finitum existit, ut Ens summe necessarium h. e. *Infinitum* existat necesse est, seu ut aliquid existat necessarium h. e. Infinitum. Revera quicquid æternitatem atque Infinitatem in sua involvit natura, Unice necessario existit, & reciproce; Hinc Deus per nomen יהוה sese

olim

olim Judæis explicuerit, qua abſolutam ſuam eſſentiam absque relatione ad rès creatas, uti & per nomen אהיה abſolutam ſuam exiſtentiam, ſubindicaverit.

PROP. V.

Ens a ſeipſo eſt indiviſibiliter unum per ſe, atque unicum exiſtit.

DEM.

Si negas, *Ens* igitur *a ſeipſo* erit aut 1°. Diviſibile aut 2°. Multiplex, ſeu Plura uno dabuntur, 1°. non erit Diviſibile, quia ſi ſupponeretur dividi in partes, partes iſtæ vel a ſeipſis erunt vel non, ſi non ſint a ſeipſis, tunc ens a ſeipſo deſtrueretur ſeu deſineret eſſe, quod exiſtentiæ ejusdem neceſſariæ prorſus contrariatur: Sin vero divideretur in plura entia a ſe, tunc unumquodque per prop. præced. eſſet infinitum, ſeu duo (vel plura) darentur Infinita in eodem genere, contr. Coroll. def. 2dæ. Erit itaque primo Indiviſibile; ſed & porro neque ob eandem rationem multiplex eſſe poſſit; reſtat ergo ut ſit Unicum, & per Prop. ſecundam unum per ſe. Q.E.D.

ALITER.

Natura *Entis a ſe* eſt Infinita per Prop. ſup.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [27] - 23

ſup. in partes ergo diviſum vel in Entia finita vel ex parte tantum Infinita divideretur, utrumque vero Prop. præced. contrarium eſt, erit itaque indiviſibile, cumque plura uno Infinita exiſtere nequeunt in eodem genere per Coroll. def. 2dæ. ſequitur ut ſit Unicum. Q.E.D.

SCHOL.

Ipſa porro exiſtentiæ neceſſariæ natura *qua Neceſſariæ* unitatem ponit atque exprimit, æque ac qua *Infinitæ*, reciproca enim ſunt, uti jam antea notavimus; numerus enim omnis ſeu pluralitas finitudinem aperte ponit, namque *Una illa* (ſi ita loquar) ſeu *plura* terminarentur ad ſe mutuo & excluſive, quod ipſa ratio formalis eſt τῦ *finiri* ſeu *finitudinis*.

PROP. VI.

Ens a ſeipſo eſt ſimplicisſimum.

DEM.

E Prop. ſecunda & ſuperioris demonſtratione patet.

ALITER.

Aſſumpto tanquam noto, quod *omnia compoſita ſint diviſibilia*; per Prop. ſup.

Ens

Ens a Seipſo eſt Indiviſibile, ergo non eſt Compoſitum h. e. ſimpliciſſimum eſt. Q. E. D.

COROLL.

Omnia in Infinito ſunt Infinita.

PROP. VII.

Ens a ſeipſo eſt Immutabile.

DEM.

Ens a ſeipſo per ſe eſt quicquid eſt per Prop. 2^dam^, & per Coroll. 1. Prop. 3^tiæ^. ſumme neceſſarium, hoc eſt ſemper neceſſarium, hoc autem eſt τὸ eſſe Immutabile; ſi enim mutaretur, mutaretur in id quod non fuerit, hoc eſt non eſſet ſumme neceſſarium; erit itaque immutabile. Q. E. D.

COROLL.

Hinc porro profluit ut ſit *purus actus* (uti loquuntur Scholæ) ſeu in potentia ad nihil quod non eſt. Unde poſſibilitas omnis cadit in Entia quæ non ſunt a ſeipſis, quæque quidem ut triplex conſiderari queat, ſcil. a *non eſſe ad eſſe*, vel 2^do^. *ab eſſe ad non eſſe*, vel denique Intermedia, ad τὸ *mutari*, hoc eſt *ad eſſe partim quod fuit & partim quod non fuit ante*;

nihil enim aliter mutari poteſt, ſi enim in toto mutaretur, deſtrueretur prorſus quod fuit ante, & ens novum (non idem) produceretur, ſi enim prorſus idem eſſet, ſolum idem denuo re-produceretur, prorſus (niſi per Intervallum non exiſtendi) immutatum.

PROP. VIII.

Ens a ſeipſo eſt omne quod eſt aut eſſe poſſit, ſeu ſumme & Infinite perfectum.

DEM.

Ens a ſeipſo exiſtit per Prop. 1. & per Prop. 4. actu *Infinitum* eſt; perque Coroll. præced. *purus actus*, & per Prop. 5. *Unicum*, hinc autem neceſſario ſequitur quod omne eſt, quod Infinitum eſt, ſeu eſſe poteſt, & ea propter cui nihil quod eſſentiam exprimit, non Infinito modo congruat; hoc autem eſt per Def. 3^tiam. *abſolute Infinitum*, ſeu omne quod eſt aut eſſe poſſit, ſeu (quod eodem redit) *ſumme & Infinite perfectum*. Q.E.D.

COROLL. I.

Hinc autem patet, huic enti, cum hoc modo infinitum ſit, nullam additionem fieri

fieri poſſe, neque (cum Immutabile ſit per Prop. 7.) ullam ſubſtractionem.

COROLL. II.

Hinc autem ſi *Ens a ſeipſo* aliquid cauſet, ut *Cauſata cauſam referant neceſſe eſt*; ſeu *ut ejusdem quadantenus ſint Imagines*, ex eo quod ipſa omnigenæ Naturæ poſſibilis perfectiones eſſentiales in ſua eſſentia neceſſario continet, ſeu involvit modo Infinito atque perfectiſſimo. Unde

COROLL. III.

Aliquid in omnium rerum eſſentiis, non ſolum productarum ſed & producibilium, dari neceſſe eſt quod Infinitatis ſit capax, quodque proinde revera Infinitum eſt quodque (qua tale) neceſſario attributum Primæ Cauſæ conſtituit; Hinc ergo emergit *Regula vere Inveſtigatoria*, ex hacce ſcil. Infinitatis capacitate, quæ (veluti Criterion minime fallax) nos ducat ad attributa productis omnibus correſpondentia in Cauſa eorundem prima atque Infinita adinvenienda: Quicquid enim Infinitum eſſe poſſit, hac ipſa propoſitione Infinitum eſſe perhibetur; & hæcce Infinitas eſt (ſi ita loquar) quaſi menſura

menſura & criterion attributorum hujuſce Entis; Hiſce ergo in ſequentibus inſiſtimus.

SCHOL.

Hæc præcipua ſunt quæ de *Ente a ſeipſo* hic enumerare neceſſe duximus; neque quale vel quid ſit absque aliis conſiderationibus e creatorum Natura deſumendis elici queat, cum neque an ejusdem attributum ſit *cogitatio*, vel quidvis aliud, aliter quam noſmet ipſos & res circumvicinas contemplando, valeamus cognoſcere. Ex hiſce autem Conditiones factorum, ſeu eorum quæ a ſeipſis non ſunt, generaliores elicere, inſtituta comparatione, hoc modo liceat, viz.

Ens a ſeipſo.	*Ens (ſeu Entia) ab alio.*
1. Exiſtit & id quidem abſolute ſeu neceſſario.	1. Facta eſſe ſeu alii *ſuum eſſe* debere.
2. Per ſuam Eſſentiam ſeu per ſe eſt quicquid eſt.	2. Per aliud Conſiſtunt & ſunt quicquid ſunt.
3. Ex ſua Natura æternum.	3. Eſſe, ex ſua Natura Temporalia.

4. In-

4. Infinitum.	4. Finita.
5. Unum per ſe.	5. Unum (quatenus unum aliquid dici poſſit) per aliud.
6. Simplicisſimum.	6. Compoſita eſſe poſſunt, ac proinde reſolubilia, vel ſi ſimplicia ſunt, quatenus facta rurſus infecta eſſe poſſint; ſeu quatenus producta eatenus poſſint deſtrui.
7. Immutabile.	7. Mutabilia.
8. Omne quod eſt aut eſſe poſſit, ſeu ſumme & Infinite perfectum.	8. Eſſentiæ reſtrictæ ſeu Limitatæ, unde multiplicia eſſe poſſint, finitudo enim pluralitatis radix eſt naturalis.

Hinc autem obiter *Spiritus* & *Materia*, uti poſthac videbimus, primario extiterint poſsibiles; Prior autem veriſimilius *futurus*, cum nondum extitiſſent, quam poſterior,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [33] - 29

poſterior, ſiquidem veriſimilitudo a poſteriori conſpici a nobis potuiſſet, unde Hypotheſis illa *Cabbaliſtarum*, quam Tractatu de *Spatio Reali*, &c. Cap. primo memoravimus, proculdubio ſuam traxerit originem, ſcil. quia illis probabilius quidem videbatur illud quod Deo ſimilius eſſet, ex eo quod plura ejusdem attributa exprimeret ſeu involveret, extiturum eſſe, quam illud quod involveret pauciora, quod ulterius explicabitur ex *Helmontio* in parte ſecunda.

Finis Partis primæ.

PARS

PARS SECUNDA DE DEO.

——— τῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν.

DEFINITIO.

ACtionis nomine comprehendo *Cogitationem*, *Motum* & univerſim quodcunque opponitur *ſtatui* (cujuscunque is ſit generis) prorſus *inactivo*.

SCHOL.

Activitas agenti poteſt eſſe vel 1°. *Eſſentialis* vel 2°. *Adventitia*, ſeu impreſſa ab extra.

1. *Activitas* agenti *Eſſentialis*, ea dicitur, quæ ab eo ſeparari non poſſit ſalva Agentis eſſentia, ſeu quæ ab Agentis eſſentia immediate profluit, uti *vita*, ſi alicubi detur, *Eſſentialis*, &c.

2. *Activitas* agenti *adventitia* eſt, quæ ſalva re ceſſare poteſt, uti *motus in corpore*, &c.

AXIOMATA.

1. Inactivum eſſentia, nihil poſſit agere a ſeipſo, ſeu ex ſua Natura.

2. *Idea*

2. *Idea* Rei *perfecta* ſuo *Ideato* ſemper *adæquata* eſt, ſeu tantum eſſe debet in *Idea Objective* (uti loquuntur) quantum *Subjective* eſt *in re*.

HTPOTHESES ſeu POSTULATA.

1. Dantur Entia finita, uti ſunt omnia (quæ videmus) Materialia in Univerſo, ſeu datur Materia Mobilis & Extenſa.

2. Dantur Actiones in Univerſo; Unde (quia nihil nil poteſt) hocce Corollarium immediate deduci poſſit, *viz.* Dari æternum actionis Principium.

3. Hic etiam ſubſumimus, quod Tractatu *De ſpatio Reali*, &c. jamjam demonſtravimus, ſcil. Dari ſpatium ſeu *Extenſum Infinitum* a Materia Diſtinctum.

SCHOLIUM GENERALE.

Nihil Præter hæc Tria in Univerſo (realiter ſeu extra nos) deprehendimus; Hæcce ergo uti tot data conſideramus.

SECTIO PRIMA.

De Ente a Seipſo quatenus Infinite Extenſo, ſeu Extenſorum finitorum Cauſa Infinita.

PROP. I.

Ens a Se eſt Cauſa Rerum.

DEM.

DEM.

Entia Materialia finita exiſtunt per poſt. 1^m. ſed quatenus finita non ſunt a ſeipſis, per Coroll. Prop. 4^tæ. Part. Primæ. Ergo ab alio per Ax. 3. Part. Primæ. Aliud vero illud non poteſt eſſe *nihil* per Ax. 1. Part. Primæ. Erunt itaque ab Ente a Seipſo, (quod (per Prop. 5.) unice neceſſario exiſtit.) Q.E.D.

PROP. II.

Ens a ſe (ſeu Cauſa Rerum) *eſt neceſſario & Infinite Extenſum.*

DEM.

Datur Materia mobilis & extenſa, ſeu Materia finita per Poſtul. 1^m. aliquid ergo Infinitatis capax continebit per Coroll. 3^m. Prop. 8^væ. Part. Primæ, at per Poſt. 3^m. hujuſce partis, extenſio tale quid eſt, ergo per Coroll. 3^um. prædict. Prop. 8^væ. Part. primæ, attributum primæ Cauſæ conſtituit: h.e. Ens a ſeipſo (ſeu Cauſa Rerum) eſt Infinite Extenſum. Q.E.D.

SCHOLIUM.

Huic Propoſitioni reſpondet (uti alibi innuimus) nomen illud Dei מקום, tum Recentiorum æque ac antiquiorum *Omni-*


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [37] - 33

præsentia Essentialis, seu *Extensio* (non Virtualis sed) *actualis*, *spiritualissima*, & *Infinita*, quibusdam etiam *Immensitatis* nomine insignita; sed quoniam maxima hinc inter quosdam orta est præjudicii ansa, qui res ex Imaginatione pensitantes, *Extensionem Infinitam* imaginari nequeant, ubi tamen ejusdem termini sisterent, vel quousque protenderentur, quidve eosdem circumsepiret vel terminaret, prorsus nesciunt; Horum, inquam, Imaginationi prospicientibus liceat nobis hic argumentorum quoddam genus (in eorum gratiam quibus iste Liber ad Manus non sit) quasi recoquere, & ad Incudem denuo revocare, quod e *Gassendo* in Tractatum nostrum *de spatio Reali*, &c. *pag.* 68. transtulimus. *Omne* Scil. *extensum* aut *extenso*, aut *inextenso*, aut 3°. *nihilo* finiri, terminari, seu utcunque circundari, necesse est. 1°. si dicatur quod alio quodam *Extenso* circundetur, conceditur quod postulatur, scil. *Extensum extenso* circundari ad Infinitum, seu *extensum* dari *Infinitum*; sin autem 2^do^. dicas quod *inextenso* circundetur, *inextensum* istud omnes ejusdem limites, seu unamquam-

que

que hujusmodi Limitantis fimbriæ particulam claudet undequaque, & terminabit; unde *inextenſum* iſtud totis *extenſi* hujus limitibus *coextendetur*; Quod Implicat.

Hoc autem in *Extenſo quovis finito* ſeu in *Figura quavis* facile Illuſtrari posſit, ſit e. g. in ſphæra a b c d punctum quodvis (v. g.) *b* terminatum ad *inextenſum* illud (ſi posſibile ſit) *circundans* in (b) punctum pariter *d* terminabitur ad *inextenſum* in (d), & punctum *c* porro terminabitur ad *inextenſum* in c), & ſic porro de punctis quibuslibet Intermediis, &c. *Inextenſum* ergo illud terminans hunc arcum (a d), protendetur a (b) per (c) ad (d) & æquale erit terminato illi, extenſi hujus totius, arcui (a d), *Inextenſum* ergo illud externe terminans *vere extendetur* contra Hypoth. extenſum ergo ad *inextenſum* terminari nequit, ſeu ab *inextenſo* terminari ſeu includi non poteſt, Q. E. D. Eodem prorſus proceſſu demonſtrabitur, quod extenſum a *nihilo* terminari non poſſit, niſi *nihil* illud ponatur *poſitivum* quid eſſe, quia *extenſum*,



quod Implicat; *nihil* enim illud *extenſo cuidam*, hoc eſt (cum non Entis nullæ ſint proprietates) *enti cuidam reali* coextenderetur, adeoque proprietatem quandam *Entis realis*, h. e. *extenſionem*, poſſideret, quod quidem concipi non poteſt. Hic autem forſitan abs re non erit ſubnotare quod vulgus *nihil* plerumque concipit per modum *privationis Corporum*, ſic inquiunt, ubi nullum eſt Corpus, quod tactu vel viſu apprehendi poteſt, ibi *nihil* eſt; *abſentia ergo corporum tangibilium & viſibilium* apud vulgus *nihil* eſt. Facile eſſet hic probare ipſum *Carteſium* etiam volentem nolentem cogitaſſe *extenſionis* (quam pro materia maxime ἀφιλοσοφιχῶς acceperit) nullos omnino dari fines, quam eapropter *Indefinitam* (molliori vocabulo) appellitaverit, cum revera Univerſum corporeum Infinitum eſſe exiſtimaverit, imo & quibusdam agnoviſſe fertur, e quorum numero Unum olim in Hollandia ſæpius alloquutus ſum.

COROLL. I.

Hinc ſequitur *Ens a Seipſo* ſeu *Cauſam Rerum* quatenus *Infinite extenſum* eſſe neceſſario

ceſſario & intime omnibus rebus *præſens*, ſeu eſſentia ſua *omnipræſens*, quatenus enim (per hanc prop.) *Infinite extenſum eſt*, & (per prop. 5^tam^. Part. prior.) *Indiviſibile*; neceſſario conſtabit propoſitum, Q.E.D.

COROLL. II.

Ens a ſeipſo (ſeu jamjam memoratum Primarium illud מקם) quatenus *Infinite extenſum* eſt baſis quodammodo & fundamentum *omnium extenſorum* ſine quo ſtatim evaneſcerent, ſine quo nunquam extitiſſent, eodem enim (vel etiam ut attributo ſuæ Cauſæ per Coroll. 3^m^. Prop. 8^væ^. Part. prim.) æque ad perſeverandum in ſua exiſtentia indigent, ac primo ad exiſtendum, ſufficientia per ſe omnino deſtituta. Hinc *Dionyſius Deum* vocat *ſedem omnipotentem, fundum, fundamentum omnium, &c.* & *Gregorius* etiam hoc in caſu recte dicit, *Deum eſſe infra omnia, & ſubtus creaturam ſuſtentare.* Theophilus *quoque* Athenagoræ Apologiſtæ coætaneus circa annum 180. *ad* Autolycum *p. 81. l. 2.* hæcce habet. *Qui fit autem quod non ubique erat, ſed ſaltem in uno terræ angulo*

reperiebatur, (viz. Jupiter in Ida monte) aut enim reliquos negligebat, aut non poterat simul ubique esse (παντα χόσε) & omnium providentiam agere; nam si erat, e. g. in Loco orientali, non inveniebatur in Occidentali; sin versabatur in Occidente, ejus præsentia desiderabatur in Oriente. Cæterum Dei altissimi, qui omnia regit reque vera existit, hoc quasi proprium est, ut non solum ubique sit, verum omnia præsens inspiciat & audiat: Præterea nec loco capitur; alioqui locus qui ipsum capit major eo inveniretur: Nam id quod capit eo quod capitur majus est; Deus loco nequaquam circumscribitur, verum ipse est omnium Locus.

Quinetiam Gregor. Lib. 2. Moral. c. 12. de Deo loquens, *Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; & superior per potentiam, & inferior per sustentationem, Exterior per Magnitudinem, Interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circundans, interius penetrans. Nec alia parte superior, aut alia parte exterior, atque alia manet interior, sed unus idemque solus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circundando penetrans, penetrando*

netrando circundans. Et Innumeri alii ex antiquis quos hic recenſere non vacat.

COROLL. III.

Hinc porro ſequitur *Ens a ſeipſo* quatenus *Infinite extenſum* per *Immenſitatem ſuæ extenſionis* ſufficiens eſſe fundamentum Innumerabilium mundorum; cum enim res creatæ extenſæ nondum ſunt Infinitæ, neque quidem eſſe poſſunt (uti Cap. 6. Tractat. de *Spat. Real.* innuimus) ut ſine fine, ſeu in Infinitum augeri poſſint, neceſſario ſequitur; hoc eſt licet mundus actu Infinitus eſſe nequit, Infinite tamen excreſcere ſeu augeri poſſit; non autem hinc ſequitur, ut revera ſic augeatur, ſed ſolum ut ſic augeri poſſit. *Helmontius* equidem in *Seder Olam* circa initium iſtius libri Rem omnino ſic ſe habere aſſerit; *Quia*, inquit, *Deus omnia operatur ſecundum Infinitam ſapientiam, ideo nulla eſt in eo Voluntatis Indifferentia, & ideo in omnibus quæ operatur, eſt agens neceſſarium; & tamen eſt Agens etiam quam Liberrimum, Mundos igitur neceſſario creavit, non quidem ab aliquo Agente extrinſeco coactus, ſed ab Interna ſua bonitate &*

ſapientia determinatus. Attributum ergo creatoris Deo eſt eſſentiale, quia nulla ſunt in Deo accidentia. Deus igitur ab æterno Creator eſt, & ideo Creaturas ab infinitis antehac ſæculis creavit; & etiam novas Continuo creat, atque in omnem æternitatem ſequuturam quoque creabit. Mundi igitur, quoad nos, ſunt Infiniti & Innumerabiles, &c.

Etſi hujusmodi ratiocinatio a parte Dei conſtaret, tamen a parte Rei neceſſario vacillaret; Exiſtentia enim Entis finiti cum ipſa exiſtentiæ actu Infinitæ ſeu vere æternæ Natura prorſus repugnat, uti jam antea (P. 9.) oſtendimus; eadem quippe eſt ratio æternitatis abſolutæ *a parte poſt* (uti loquuntur) ac *a parte ante*, ſed nihil (eſſentia finitum) duratione actu Infinitum erit *a parte poſt*, ergo neque fuit *a parte ante*. Et revera ut aliquid *æternitatem* Exiſtentiæ *abſolutam* involveret, neceſſe eſt ut idem *abſolutam* quoque *Infinitatem eſſentiæ* involvat; hoc autem eſt ut a *ſeipſo exiſteret*, uti parte prima demonſtravimus; ſed & porro limites Exiſtentiæ Rerum finitæ *a parte ante* a nobis aſſignari nequeant, aliter quam ut aliquando

quando incepiſſent ſit neceſſe, ſeu ut finitorum omnium *alicubi* & *aliquando* ſint conditiones neceſſariæ & intrinſecæ; & ut earum duratio quatenus cum finita earundem Exiſtentia reciproca, per tempus, uti & tempus per motum (nempe *ex quo inceperint*) extitiſſet, & ſemper porro extiterit, menſurabile. Hujusmodi durationis ſeries cum illis apud Mathematicos coincidunt, quæ a dato primo (uti ab unitate numeri Naturales) in Infinitum creſcunt.

SECTIO SECUNDA. PROP. III.

Ens a Seipſo (ſeu Cauſa Rerum) eſt æterno & Infinite activum.

DEM.

Dantur Actiones in Univerſo per poſt. 2^m. ſed per Ax. 1. inactivum eſſentia nil poteſt agere a ſeipſo, erit itaque natura activa alicubi ſaltem æterna, ſolum autem *Ens a ſeipſo* eſt æternum per Prop. 3. & 5. Part. primæ; erit itaque per Ax. 3. Part. primæ activum a ſeipſo, ſeu per Prop. 2^m. Part. primæ ſua eſſentia tale, & per Prop. 3. ejusd. Part. æterno & per Prop. 4, & 6. Infinite tale. Q.E.D.

Ipse producendi finita actus, cum finita non sint a seipsis per Coroll. Prop. 4. Part. primæ, seu non necessario existant, *actionem* adeoque & *Naturam actuosam* in *Producente*, h. e. (per Prop. 1. hujus) in *Ente a seipso*, eamque (per prop. 4. Part. primæ) Infinitam necessario ponit. Hunc ad modum πατὴρ Joan. 5, 26. dicitur ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ seu esse αὐτόζωον. Hinc porro (& vi Coroll. 3. Prop. 8væ. Part. prim.) Quicquid etiam in Natura actuosa Infinitatis sit capax, hujusce entis erit attributum; quod inferius magis luculenter & speciatim eluceſcet.

PROP. IV.

Ens a seipso *quatenus Infinite extensoactivum est Causa adæquata tam Rerum Essentiæ quam existentiæ.*

DEM.

Entia finita sunt ab *Ente a seipso* per Prop. prim. hujus; sed *Ens a seipso* est Infinito modo omne quod est aut esse possit per Prop. 8m. Part. primæ. Specialius autem *Infinite extensum* per Prop. 2. & *Infinite activum* seu *actuosum* per Prop. 3. hujus; inde autem quatenus *Infinite extensoactivum*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [46] - 42

activum erit cauſa adæquata tam rerum Eſſentiæ quam exiſtentiæ. Q. E. D.

ALITER.

Ens a ſeipſo eſt cauſa Rerum per Prop. 1. hujus, & Unicum exiſtit per Prop. 5^m^. Part. primæ; Ergo cum a ſe nihil habeant finita per Coroll. Prop. 4^tæ^. Part. primæ, & nihil nil posſit per Ax. 1. Part. pr. ab *Ente a ſeipſo* omne quod habent ut habeant neceſſe eſt; & Cauſam ſuam neceſſe eſt ut referant per Coroll. 2. Prop. 8^væ^. Part. 1^mæ^. ſed Res Univerſæ vel potius ſubſtantiæ Univerſæ (finitæ) vel actuoſæ ſunt, vel absque involvendo *naturam activam* extenſæ, &c. per poſt. 1^m^. & 2^m^. ſed & porro extenſio & actio in *Ente a ſeipſo* ſunt Infinitæ per Prop. 2^m^. & 3^m^. hujus: Ergo *Ens a ſeipſo* quatenus *extenſo activum* eſt cauſa adæquata tam rerum eſſentiæ quam exiſtentiæ, Q. E. D. vel etiam reciproce quatenus cauſa rerum adæquata erit Infinite extenſo-activum.

COROLL.

Hinc a priori, ſubſtantiæ (eſſentia actuoſæ) ſeu vita eſſentiali prædiæ, poſſunt exiſtere, ſeu a Deo poſſunt produci, æque

æque ac res seu substantiæ ἀντιτύπως extensæ & inactivæ.

SCHOL.

Extensio justissime quidem veluti basis, seu principium fundamentale Rerum subsistentiæ, seu sine qua nil possit existere, seu ut ratio formalis subsistentiæ Rerum, a *D H Moro* de *Ontologia* differente non immerito admissa est; Eandemque inter modos entis realis (qua talis) reciprocos ibidem connumeraverit. *Cabbalistæ* quidam & ab iis *Helmontius* in *Seder Olam*, &c. quem jam modo citavimus, ex asse contrarii sunt Atheis nostris hodiernis qui nihil præter materiam mortuam & inertem, & modificationes, quæ ex illa forte fortuna, vel rationibus fortuito-mechanicis resiliunt, in universo admittunt: Hi e contra rerum initio omnia crediderunt (uti Cap. primo Libr. de Spat. Reali videre est) viva fuisse & spiritualia; quorum ad mentem Helm. Libr. præd. init. hæc habet; *A Deo enim qui & ipsa vita est & Vitæ Fons, nihil vitam non habens, aut vitæ non capax procedere potest. Nam præstantissima sua Bonitate*

tate, Sapientia & Potentia, Deus creaturas ſuas omnes condidit, ut in eo tandem beatæ ſint, eo gaudeant & fruantur, &c. Ex horum Hypotheſi, Univerſum Corporeum nihil erit niſi *Golgotha* quoddam immane, ſeu ἄδης animarum, Quibus tamen, Reſuſcitationem tandem aliquando polliciti ſunt, ſcil. cum omnia denuo reviviſcerent, fierentque *Tetragrammaton* & *Neſchamah.*

PROP. V.

Eſſentia Entis a ſeipſo *quatenus Infinita a finito Intellectu adæquate comprehendi nequit.*

DEM.

Hoc ex Ax. 2°. vel etiam ex ipſis terminis ſatis patet; niſi quis finitum abſolute Infinito exæquari poſſe contenderit.

SCHOL.

Huc tendunt quæ ſæpius in S. S. Scriptura reperiuntur uti *Job.* 11, 7. *Iſai.* 40, 28. *Pſalm* 47, 5. &c. Hoc etiam ipſe fatetur noſtras *Hobbius* Cap. 26. Phyſ. de Univerſo & ſyderibus: *Neque enim Homo*, inquit, *neque ulla alia res, præterquam quæ ipſa Infinita ſit, infiniti conceptionem ullam habere*

bere potest; quod si per hocce verbum, *Conceptionem*, *adæquatam conceptionem* seu *Comprehensionem* voluerit, verissimum est.

PROP. VI.

Essentia Entis a seipso *quatenus Infinita, Infiniti Intellectus objectum adæquatum esse possit, seu Infinitus Intellectus exinde possibilis est.*

DEM.

Hoc quoque Ex Ax. 2^do. patet, cum ut hic solum illi existat prorsus commensuratus necesse est; seu ab *Infinitate reali* Objecti quam Prop. 4. Part. prim. demonstravimus, necessario Infertur *Infinitas possibilis* Intellectus idem comprehendentis. Constat ergo Propositum. Q.E.D.

PROP. VII.

Essentia Infinita quatenus Infiniti Intellectus Objectum adæquatum esse possit, necessario est; seu Infinitus Intellectus exinde necessario existit, seu Entis Infiniti necessario attributum est.

DEM.

Hoc ex Prop. 6^ta. & Coroll. 3^tio. Prop. 8^væ. Part. p^mæ. constat. Q.E.D.

ALITER.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [50] - 46

ALITER.

τὸ *Intelligere*, quatenus actionem ſeu realitatem aliquam exprimit, eſt Perfectio, ac proinde (modo id ſit posſibile) alicubi exiſtit Infinita, ſed per Prop. præced. Infinita eſſe posſit; Ergo per Coroll. 3^tium^. Prop. 8^væ^. Part. primæ Infinita eſt, ſeu ad Ens Infinitum pertinet, ſeu ejusdem attributum eſt. Q. E. D.

SCHOL.

Hoc Argumentandi genus a *poſſe* ad *eſſe* nullibi niſi in abſolute neceſſariis, ſeu Infinitis valet; & ibi quidem ponderis eſt Infiniti, ſeu (quod eodem redit) veram demonſtrationem conficit; Objecto ergo Exiſtente Infinito (ſcil. *Ente a ſeipſo*) Ex hujusmodi inquam Exiſtentia, ſequitur quod Infinitus Intellectus ſit posſibilis, ex iſta autem posſibilitate neceſſario ſequitur ejusdem exiſtentia; Omnes porro actionis ſpecies *Infinitatis* capaces (vi Prop. octavæ, Part. primæ) *Enti a ſeipſo* activo, ſeu quod eodem redit, *Deo* congruunt; ex eo ergo quod *cogitatio* ſit *actio* (per Prop. Sextam) *Infinitatis capax*, neceſſario Deo competit; ſed & hinc etiam quam immane diſtat Intellectio Divina

ab

ab humano perceptu facile est; ut autem quodammodo ex Analogia (siquid analogiæ simile concipi possit inter ea quorum alterius ad alterum ratio seu comparatio, seu utcunque distantia prorsus Infinita est) paulisper differamus, &, si circa hæc omnino differamus, ut ἀνθρωπίνως differamus necesse est, removendo tamen omnimodam (in quantum possumus) Imperfectionis umbram ab *Intellectu illo* quem novimus esse vere *Infinitum*; at & maximam in hisce misere vacillare cautionem omnino fatendum est, cum *Infinitas* unica sit norma ac Methodus juxta quam datur procedere; Ad conceptus vero nostros in hujusmodi νοήμασι adjuvandos, non parum contulere Platonici, Qui Intellectum Divinum in νῶν νοερὸν & νῶν νοητὸν, non inepte jam olim divisérint, unde cum νῶς νοητὸς (Relatione scil. habita ad seipsum) Prop. 4. Part. prim. per hancce Propositionem Infinitus esse perhibetur, ut νῶς νοερὸς pariter Infinitus sit necesse est; Idem enim revera sunt: Hac voce *Divinam Essentiam*, quatenus rerum omnium *exhibitivam*, seu Res omnes *Repræsentantem*, ista autem quatenus

easdem

easdem *Percipientem*, denotaverint; Quam partitionem, humanæ Imbecillitati optime ſubvenientem, ubicunque opus fuerit, in ſequentibus vel palam uſurpabimus, vel ſaltem tacite ſupponemus.

PROP. VIII.

Res omnes poſſibiles quatenus poſſibiles neceſſitate Naturali (*eoque nomine* æterna) *ex infinita Dei Eſſentia conſequuntur, ſeu Divina Eſſentia, eſt Radix, ſeu fundamentum naturale & Infinitum omnium Poſſibilium.*

DEM.

Ens a ſeipſo eſt omne quod eſt aut eſſe poſſit per Prop. 8^m. Part. primæ; Unde nihil eſſe posſit quod illud non ſit *modo Infinito & perfectiſſimo*, uti ex ejusd. Coroll. patet. *Ens autem a ſeipſo* eſt *Cauſa Rerum* per Prop. 1^m. hujus; Res ergo omnes *Poſſibiles*, quatenus *Posſibiles*, ſuam *Posſibilitatem* Eſſentiæ Divinæ (ſeu Deo) quæ per Prop. 3. Part. prim. æterna eſt, neceſſario debent; & cum nihil in ea ſit, quod Ipſe *Deus* non ſit (per Coroll. Prop. 6^tæ.) neceſſario conſtabit Propoſitum. Q.E.D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [53] - 49

COROLL.

Hinc Res, ut & Rerum Relationes, sunt æternæ, independenter a voluntate quavis qua tali, sive finita sive infinita, nisi quatenus Infinita Dei Voluntas cum ejusdem essentia Immutabili coincidat seu reciproca sit, & hoc est quod a Viro admodum Reverendo *D. Rust*, Episcop. de *Dromore* in Hibernia in Tractatu suo de *Veritate* non ita pridem assertum fuerit.

SCHOLIUM.

Omnia ergo Possibilia ex hoc fonte ut emanent necesse est, quoad eorundem Essentias; Quoad Numerum quidem, *Infinita* seu *Innumerabilia* proculdubio sunt. Hæcce autem *Infinitas* ejus est generis, quam *Tractatu de Spatio*, &c. *potentialem* nominavimus, seu quæ sine fine crescendo limites quosvis datos transcurrere queat; neque enim possibile est corporum systemata actu & quaquaversum Infinita simul coexistere ob impossibilitatem motus ex eorundem ἀντιτυπίᾳ seu impenetrabilitate exorituram; Hujusmodi autem impossibilitates semper oriuntur a parte Rei, quatenus scil. Res ipsæ

ipſæ Infinitam perfectionem neceſſario reſpuunt.

PROP. IX.

Deus quatenus *Infinitus Intellectus* ſeu *Mens Infinita omnia Poſſibilia in Infinita ſua Eſſentia uno Infinito & perfectiſſimo Intuitu complexus eſt, ſeu cognoſcit ab æterno; ideoque omnia quæ unquam fuere, ſunt, aut eſſe poſſunt, a parte Scil. Rei, eidem ſemper adſunt, ſeu præſentia ſunt, uti & eorundem Relationes, habitus, Effectus omnes, & Conſequentiæ, imo Variationes omnes poſſibiles, & in æternum futuræ;* ſeu ut verbo dicam, *cognitio Dei eſt Infinita ſeu infinite perfecta.*

DEM.

Hoc ex Prop. 7ma. & 8va. Part. primæ patet. Q.E.D.

ALITER.

Cognitio Dei non poteſt dici Infinita, ſeu Infinite perfecta, ſi quid in genere cognitionis vel etiam cognoſcibilitatis eandem lateret (vel quod eodem redit) ſi quid eidem eſſet cognitu futurum, uti ex ipſis terminis, ut & ex def. 2da. Part. prim. patet; ſed cognitio divina eſt ipſa

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [55] - 51

Dei Eſſentia per Prop. 6. Part. prim. ac proinde per ejusd. Part. prim. Prop. 4. eſt Infinita, ſeu per Coroll. 2^dum. Prop. 8^væ. omne quod in eo genere eſſe posſit, & per Prop. 7. Part. prim. Immutabilis eſt; nihil ergo illi addi, nihil ſubtrahi posſit, omnia ergo cognoſcit ab æterno. Q. E. D.

COROLL. I.

Hinc autem ſequitur, quod Deus omnia novit ex contemplatione ſui ipſius ſeu ſuæ eſſentiæ, & futura eodem prorſus modo quo præterita & præſentia.

COROLL. II.

Infallibilitatem Cognitionis Divinæ fundari in ejusdem Infinitate, quæ eodem prorſus modo ad liberos creaturæ actus, ac ad conſequentias mechanice neceſſarias ſeſe extendit: Relatione autem ad hancce cognitionem habita omnia eveniunt neceſſaria, licet Relatione habita ad ſuas reſpective cauſas Immediatas (ſi quidem agentia ſint Rationalia) quam liberrime; hujusmodi enim neceſſitas, quæ cum Infinitate cognitionis divinæ eadem eſt, libertatem creaturæ minime tollit, ſed omnino confirmat, neque ullam

quidem

quidem neceſſitatem voluntati creaturæ infert aut quomodocunque imponit.

COROLL. III.

Hæcce Infinitas cognitionis Divinæ coincidit cum *mundo* quorundam *Ideali*, quem Divina in mente ponunt, & nihil aliud eſt quam ille (de quo ſupra) Platonicorum νῶς νοητὸς, ſeu Intellectus Divinus quatenus Rerum omnium Infinite *exhibitivus* conſideretur.

SCHOL.

Ex tali cognitione (qualem ſcil. hacce propoſitione deſignavimus) Intellectum Divinum conflari neceſſe eſt, ſeu illam eſſe ipſam, & in quantum paſſionis omnis expers ſit, ſeu *purus actus* per Coroll. Prop. 7. adeoque *Augmentationis* omnis pariter ac *diminutionis* expers (uti Coroll. 1. Prop. 8. Part. prim. jam oſtendimus) ideo inquam nihil unquam quod non novit ab æterno edoceri poſſit, quod contra Infinitatem cognitionis Divinæ (quia omnia videt Deus) plane faceret; hoc autem eſt contra ipſam Dei eſſentiam per Prop. 6. Part. primæ, neque perperam licet obſcurius huncce articulum ad Divi-

nam æternitatem referre conati ſunt inter cæteros *Rob. Card. Bellarminus* de *aſcenſione mentis in Deum*, p. 316. uti etiam Cl. Vir *S. Puffendorf.* de *Jure Naturali & Gentium*, p. 38. Ut & Quidam inter Hodiernos. Cum vero per hancce Infinitatem cognitionis divinæ, neceſſario ſequitur, quod omnia *Deo* Præſentia ſint ab æterno, *in Deum non Cadet ſucceſſio Temporis*, ſeu *ante & poſt*; hinc quoque ſequitur quod Vox qua utuntur Scholæ *Præſcientia* improprie admodum de Deo prædicatur, utpote quæ Cognitionem non *Divinam*, ſed tantum *humanam* exprimit, & Innumera iſtius modi verborum farrago, quæ contentiones apud ſcholas creare ſolent; Hiſce autem perperam reſponderi ſoleta quibusdam, Deum Res videre uti ſunt, non autem uti non ſunt, hoc eſt *Indeterminatas* videre uti *Indeterminatas*, & *futura* uti *futura*, &c. Si per hæc intelligunt quod Deus futura videt, non uti præſentia ſuæ cognitioni, ſed uti cognitioni ſuæ futura, hoc eſt ut nondum illi cognita, ſane garriunt, & naturam Divinam inter & humanam nullum diſcrimen ponunt; ſin vero tantum velint, ut videat

deat illa Deus quæ nobis futura ſunt, veluti nobis futura, nihil omnino ad Rem dicunt, ſed tantum Deum agnoſcunt Homines & Humanam Naturam videre ſeu cognoſcere, quod nemo Negabit.

PROP. X.

Deus eſt Infinite Bonus, Verax, & Juſtus, &c. ſeu Perfectiones Dei (uti vocantur) Morales ſunt Infinitæ, ſeu Rectitudo infinite perfecta eſt Divinæ Naturæ attributum.

DEM.

Ratio *Bonitatis*, *Veracitatis*, *Juſtitiæ*, &c. *Infinitæ* qua *Infinitæ* in earundem Indefectibilitate conſiſtit, ſeu in abſoluta deficiendi Impoſſibilitate, ſeu ſumma & intrinſeca earundem neceſſitate, reciproca autem ſunt (uti ſæpe innuimus) ſumme *neceſſarium* & actu *Infinitum*; hæcce ergo omnia neceſſario coincident cum *abſolute Infinito* per Coroll. 3^m. Prop. 8. Part. prim. Ex eo ergo quod Indefectibiliter ſeu neceſſario eſſe Bonus, Juſtus, &c. cum infinitate coincidant, ſequitur quod Deus ſit Infinite Bonus, Juſtus, &c. Q. E. D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [59] - 55

SCHOL.

Finitudo qua talis est realiter Negatio, Infinitudo pleniſſima Affirmatio, ſeu ipſa Plenitudo perfectionis; Hæc ſummam Infinitam (ſi ita loquar) ponit, illa Infinitum aliquid a ſumma iſta ſubtrahit quaſi & mutuatur; & verbum qua grammatice negativum ſolummodo Carentiam Imperfectionis ſeu Perfectionis tantummodo partialis, de ente illo negat, ac proinde pleniſſimam perfectionem revera ponit.

Hinc porro adnotare liceat quod harum perfectionum (quatenus maxime poſitivarum atque imitabilium) Exemplaria h. e. Imago Dei moralis creaturæ (ſeu menti) Rationali Impreſſa, hoc eſt amor (non ſolum admiratio inefficax) Dei Intellectualis, & exinde profluens Virtus ejusdem imitatrix ſcil. Juſtitiæ Amor & Praxis, Bonitas ſeu Charitas Univerſalis, hi, inquam, conſtituunt εἰκόνα illam θεῖον ſeu χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, qui creaturæ rationali quam poſſit perfectiſſime impreſſus, eſt *fundamentum Naturale* beatitudinis omnis rationalis atque æternæ, quique χαρακτὴρ in omni homine

homine amiſſus qui venit in hunc mundum (uti naturam humanam obſervantibus a poſteriori patet) *ſtatum Naturæ* Mundanum exhibet *ſtatu* illo *Belli Hobbiano* & aliorum quorundam haud multo meliorem, neque multo abſimilem; quem ſtatum etiam ipſe Clariſſimus *D. Puffendorf.* Libr. 2°. Cap. 2°. §. 12. (poſt aſſertam pacem univerſam *ſtatum* eſſe *Naturalem*) tandem hiſce verbis fere faſſus eſt, viz. *Fatendum tamen eſt pacem iſtam Naturalem eſſe ſatis debilem & Infidam, quæque adeo ſola ſalutem hominum citra alia præſidia maligne admodum cuſtodit. Sic ut applicari huc poſſit illud* Ovidii Triſt. *L. 5. El. 2.*

Pax tamen interdum eſt, pacis fiducia nunquam.

Cujus rei cauſa eſt malitia hominum, & effrœnis augendæ propriæ potentiæ libido, alienisque imminens Cupiditas; quemque a pueritia (hoc eſt a proxima *puræ Naturæ* vicinia) Indoli humanæ adhærere (non tamen in omnibus æqualiter) comperimus; ſed & in ætate adultiori non quidem amittitur, ſed mutatur in inſidiationes

nes mutuas & vires illæ atque æſtuationes animorum quæ ſine legibus eſſent aperte Hoſtiles, in dolum & in fraudes cedunt. Hinc Lapſi *Adami* filii Univerſi (in ſacris Literis) *Filii iræ* nuncupantur (h. e. tam *mutuæ* quam *Divinæ*, & partim Divinæ quia mutuæ); Hinc denique *Renovatio mentis* in veram Religionem appellatur in *Nov. Teſt. Regeneratio*, viz. in ſtatum Cœleſtem, ſeu Rationis Incorruptæ (a paſſionibus) & puriſſimæ pacis, hoc eſt in ſtatum conformitatis ad ſimilitudinem Dei, ſeu ad Rationem perfectam, quique in hac *imagine* Dei *Morali* primario fundatur, & ipſius Chriſtianæ Legis (*Legis*, inquam, non ſacrificii Chriſti) ſcopus eſt ultimus & nobiliſſimus, imo & ipſius Chriſtianæ Religionis Divinitus oriundæ characterem ſingularem & criterion non Conteſtandum exhibet; Hæc enim eſt ipſa imago Dei Inviſibilis, Qui eſt ipſa *Juſtitia*, *Bonitas*, &c. *Infinita* (uti hacce Propoſitione oſtendere conati ſumus) quatenus in Ente finito delineari, eidem imprimi, ſeu utcunque communicari poſſit; & quia ipſe eſt veræ Beatitudinis Omnigenæ ſumma ultima, perfectiſſima

&

& Infinita, exinde, inquam, nulla beatitudo vera eſſe poſſit ſeu durabilis, quæ non ſit beatitudinis hujuſce Infinitæ quodammodo exemplar & tranſcriptum, idque quam poſſit, perfectiſſimum; cum enim Deus per Prop. 8. Part. prim. omne eſt quod eſt aut eſſe poſſit modo Infinito, &c. Nihil illi abſolute diſſimile (phyſice loquendo) eſſe poſſit; diſſimilitudo ergo Moralis reſtat unice poſſibilis; qui ergo moraliter ſimilis eſt, perfecte (quoad fieri poſſit) ſimilis eſt; uti igitur ſimilitudo perfecta fundamentum eſt beatitudinis omnis Naturalis in Creatura Rationali, ita ſimilitudo Imperfecta, h. e. diſſimilitudo Moralis fundamentum erit itidem *naturale* omnium Miſeriarum vere ita dictarum, quæ eidem accidere poſſunt; hincque omne illud (quodcunque ſit, quodcunque demum excogitari poſſit) quod inter Bona vulgo numerat Univerſum fere genus humanum (cum ultra illos quos Ratio præſcribit limites vagatur) nihil aliud eſt quam *ſyren Terreſtris*, quæ exuta fuco & larva ipſius Miſeriæ etiam *præſentis* imago eſt juſtiſſima, & *futuræ* fundamentum naturale adeoque *æternum*; tandem-

tandemque aliquando certo certius reperietur

— — — — — — — *Turpiter atrum*
Deſinere in piſcem Mulier formoſa ſuperne,

Qualemcunque formæ, qualemcunque denique beatitudinis ſpeciem præ ſe ferre videatur. In hiſce autem non quomodo acquirendæ ſint Virtutes hæ *ſummæ æternæque Rationis* imitatrices, ſed quæ ſit acquiſitarum Natura, & quam certa poſſeſſoris felicitas, utpote quæ unicum Beatitudinis Rationalis *fundamentum Naturale* exhibent ex illa (fas ſit hoc ſaltem in ſenſu verbo) ὁμοιωσία cum perfectiſſima illa Dei Natura Morali, hoc eſt; cum perfectiſſima & infinita beatitudine breviter oſtendiſſe ſat ſit.

PROP. XI.

Omnes Dei Actiones, ſeu utcunque Voluntatis Decreta ab abſolutiſſima ſeu infinita Naturæ Divinæ perfectione pendent, & ab eadem neceſſario (ſeu ſi mavis) quam Liberrime (in Deo enim coincidunt) ad agendum determinatur, ſeu Deus neceſſario & ſolum determinatur a ſeipſo.

DEM.

DEM.

Nihil in Rerum Univerſitate fuit ab æterno præter Deum per Prop. 3. & 5. Part. prim. ſed & Deus eſt ſua Decreta per Prop. 6. ejusd. Part. & per Prop. 8. ejusd. eſt Infinite perfectus ; ſeu per Prop. 6. ejusd. (ſi mavis) ipſa perfectio, ergo a ſolo ſeipſo, ſeu, quod idem eſt, a ſola ſua perfectione, ad agendum determinatur. Q. E. D.

COROLL. I.

Hinc & e Prop. 7. Part. prim. Deus ſine ſuis Decretis eſſe non poſſit, unde neceſſario ſunt æterna.

COROLL. II.

Hinc in Deo non datur Voluntas Indifferentiæ, quia Imperfectionis Deum argueret, ſeu perfectionis (quæ in eo Infinita eſt) carentiæ, quod implicat.

COROLL. III.

Hinc nulla ab extra Determinatio proprie ſic dicta in Deum cadit, quia (etiam quatenus purus actus) ſenſu ſtrictiſſimo pati neſcit, niſi ceſſaret eſſe omnino Infinitus ſeu Deus.

SCHOL.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [65] - 61

SCHOL.

Coincidunt equidem in Deo, & idem sunt, Perfectio, Intellectus, Voluntas, Decreta & cæteræ omnes distinctiones quas eidem ex ἀυτοψία (aliquando nimium quid) θεολογίσαντες adscribimus; cum tamen eo ex necessitate nostræ naturæ adigimur, ut de illo quatenus *Infinito Intellectu* non aliter quam analogice quodammodo ad nosmet ipsos, vel non aliter saltem tutius philosophari valeamus, ex iisdem omnibus quibus utimur verbis, illud quod generalius est, vel eo saltem nomine, quod a nostris imperfectionibus remotius sit, atque eapropter eidem magis conveniat, eligimus; Hinc, inquam, *perfectionis* nomine usi sumus, utpote quod Infinitati magis congruat, quatenus absolute sumptum cum eadem sit reciprocum, præcipue quando cum alio verbo minus convenienti scil. *determinari* consociatum sit. Dicimus ergo Deum a perfectione suæ Naturæ ad agendum in omnibus determinari; & id quidem æterno & necessario (licet etiam quam Liberrime) secundum sua decreta, decernendo scil. de iis quæ cum tempore erant futura,

tura, tanquam quæ ab eſſentiæ ſuæ conditionibus intrinſecis æterna eſſe non potuiſſent, uti ſunt omnia finita ſeu creata, uti jamjam oſtendimus.

Hinc etiam fontem Infinitum veræ & genuinæ Libertatis, quæ etiam in ſuas creaturas rationales, h. e. in ſuas (annuente etiam *Moſe*) imagines derivatur, facile inveniamus; Licet perpauca hujuſcemodi Libertatis veſtigia hodie inter homines invenire detur.

Sed & porro adnotare liceat, quod quatenus *Dei Voluntas* idem eſt ac ipſa *Dei* Perfectio, ſeu (ut res noſtro Intellectui melius accommodetur) eandem immediate ſequi concipiatur, Deus ad arbitrium etiam agere dici poſſit; quicunque autem per hæcce verba *ad arbitrium agere*, eundem vel contra vel præter infinitam ſuam perfectionem, ſeu Naturæ ſuæ Rectitudinem (ſive eadem ſub ratione bonitatis ſive etiam juſtitiæ concipiatur) poſſe agere arbitrantur, h. e. vel contra vel præter ſeipſum, notionem Dei prorſus deſtruunt.

Hinc tandem videre eſt quid ſit Libertas in creatura rationali, ſeu in finita

Dei

Dei imagine, ſcil. ut a ratione (quatenus ſumma ſuæ Naturæ perfectione) h. e. a ſeipſo quatenus rationali in agendo ſemper determinetur; hoc enim ſolum & proprie eſt agere a ſeipſo quatenus rationali, h. e. ſolum & ſenſu ſtrictiſſimo *libere* agere. Quisquis ergo a ſua Ratione determinatus agit, is a ſeipſo agit, h. e. libere agit; Quisquis autem aliunde determinatus agit, vel contra, vel præter Rationis ſuæ dictamina, is vere & proprie loquendo *patitur*; Potentia ergo Agendi a ſeipſo ſeu a ſua ratione *Libertas* eſt *in ſuo principio*, a ratione autem determinari in ſuis actionibus exercitium eſt iſtius potentiæ, ſeu vere & ſenſu maxime genuino *libere agere*. Aliunde quidem determinati, quatenus paſſionis ſuæ ignari maneant, ſe libere agere vulgo exiſtimant; cogitare enim ſe agere ad arbitrium, h. e. nullo intrinſecus a ratione, nullo extrinſecus a rebus externis accedente momento, & hoc pro libertate accipere, eſt ad actionem ſolum attendere, non autem ad ejusdem cauſam determinantem; nemo enim abſolute Indifferens (qua talis) agit omnino; ſeu abſolute Indifferens ad

agendum

agendum aut non agendum nihil agit quamdiu Indifferens manet, aut quod eodem redit, Indeterminatus; quam primum ergo homo ad agendum determinatur, ſeu elegerit, aut cum ratione egerit, ſeu paſſus eſt, h. e. ejusdem ratio, ſeu ipſe homo quatenus rationalis, a momentis externis ſuperatur; Ipſas autem affectiones, cum extra rationem vagantur, vel contra eandem militant inter externa numeramus; in momento ergo electionis, homo vel determinatur ab intra, vel ab extra, vel ab utrinque ſimul, & iſtiusmodi determinationi cedit; quæ ſi a ſeipſo, ſeu ſua ratione, non proficiſcitur, aliunde quidem proficiſcitur; & ſi aliunde, vel cum ratione ſua coincidit, vel contra eandem facit; Caſus ultimus actiones & vota omnium fere Mortalium in ſe complexus eſt. Triplex ergo diſtingui poſſit caſus, ſcil. Homo aut 1°. determinatur a ſeipſo ſolum, h. e. a principio illo Interno & activo, ſcil. ſua ratione; aut 2°. a momento externo, conſentiente ratione; aut denique a Momento Externo, ratione refragante; & hoc eſt (quod exprimimus per illud) *pure pati*,

ſeu victas dare manus, & hinc mali Principium, hinc homo patiendo gradatim pati diſcit in Infinitum; hinc habitus pravi, & catenarum mentis ſuæ amor, hinc effaſcinationes perpetuæ, quibus ſeſe liberare penes hominem vix aut ne vix quidem amplius manet, hinc tandem deplorandum illud

— — — — *Video Meliora proboque*
Deteriora ſequor — — — — —

Hinc denique quaſi *Mechanica* quædam (ſi ita loquar) *Spiritualis*, qua Inclinationes humanæ, amiſſa penitus rationis potentia, viribus momentorum externorum ſunt (ad amuſſim) proportionales; ſicque animal Rationem ſequendi capax, cuique eapropter quatenus rationali delegatam ἀυτεξουσίαν ſuus conceſſerat Author, in αὐτόμα quoddam Mechanicum cedit ac degenerat; a regula interna deficit, & in vincula (etiam ex hypotheſi Immortalitatis) æterna ſæpe nimium ſponte corruit; & huc tendunt ea omnia quæ de ſervitute ſub peccato, &c. toties memorant Authores Librorum quorundam in Novo Teſtamento, &c.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

DEFINITIO.

Per *Intenſitatem* Intelligo uniuscujusque Rei activæ vim majorem vel minorem (ſcil. in finitis) ad agendum certa ac determinata ratione e. g. *Intenſitas* virium, potentiæ, virtutis, &c. major vel minor eſſe poteſt, h. e. *Intendi* vel *remitti* poteſt in æqualibus ejusdem generis ſubjectis, vel etiam in eodem ſubjecto diverſis temporibus, & hæcce quantitas ſeu vis, ut & varii omnes ejusdem gradus, ex comparatione innoteſcunt. Hoc phyſice quodammodo illuſtrari posſit in calidis, frigidis, motu, &c. & quidem Mathematice determinari, augeri, minui, &c. ad Infinitum; & ſecundum quantitatem virium, caloris, &c. majorem vel minorem, ipſa quoque intenſitas major & minor dici posſit; cum autem ad entia Intelligentia attendimus (analogice quidem) ad naturam ſpiritualem transferri posſit; & ſi actu Infinita (ſiquidem id posſibile ſit) inveniri posſit, ad eſſentiam Infinitam proculdubio pertinebit, uti in ſequentibus videbimus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [71] - 67

SCHOL.

In *Intenſive Infinitis* Vis virtutis ſeu actionis nullos agnoſcit limites. Tantum poſſe, in quovis genere, nec amplius virtutis eſt finitæ, quæ quidem in eodem genere intendi & remitti posſit, uti diximus, ſeu major & minor dari ad Infinitum; imo forſan datur progreſſio potentiarum & virtutum ejusdem generis alicubi exiſtentium in diverſis Individuis ad Infinitum, ſeu a nobis Indeterminabilis; cum autem omnes finitudinis limites actu excedit, proprie vocari poteſt *Intenſive Infinitum.*

PROP. XII.

Deus, *ſeu* Cauſa Rerum, *eſt tam intenſitate quam extenſione (ſeu natura activa extenſive ubique præſente) Infinitus; ſeu Dei eſſentia eſt infinito Intenſitatis gradu actuoſa.*

DEM.

Hoc ex productione entium finitorum, ſeu ex Prop. 1ª. §. 2dæ. patet. Cum enim Entia Finita non ſint a ſeipſis, uti per Corollar. Prop. 4tæ. Part. prim. patet, nullimode niſi a potentia Intenſive Infinita

nita produci potuiſſent, exiſtit ergo talis potentia productrix, &c. Q. E. D.

COROLL. I.

Hinc *Divina Energia*, ſeu natura, infinito gradu, *actuoſa*, eſt ubique ejusdem virtutis, h. e. virtutis æque Infinitæ, in qualibet materiæ parte, ac in Tota, h. e. ubique Intenſive Infinita; quod & ultra ex Indiviſibilitate Divina in Prop. 5ta. Part. prim. demonſtrata patet; Hinc olim inter *Hermeticos* quidam vere deſignarunt *Deum*, dicendo ejusdem *Centrum eſſe ubique, circumferentiam vero nusquam.*

SCHOL.

Hinc quoque *Holenmerianiſmus* Scholarum (uti a D. *Moro* aptiſſimo vocabulo nuncupatur) non inproprie de Deo prædicari posſit, qui ab eisdem dicitur *Totus* eſſe *in Toto & Totus in qualibet parte*, licet extenſionem ab eo excludendo unum Divinæ Infinitatis modum, h. e. præſentiam eſſentiæ excluſerunt, & Contradictionem ejusdem loco ſubſtituerunt, viz. *Extenſionem inextenſam*, ſeu ſi malles *inextenſionem eſſentialiter omnipræſentem*, h. e.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [73] - 69

h. e. inextensionem vere & realiter extensam; Hinc autem hujusmodi præjudicium eos hausisse verisimile est, nempe quia omne, quod quotidie viderunt, *extensum* divisibile est, inde, inquam, *omne* quod menti occurreret *Extensum*, eidem etiam imperfectioni subjectum esse imaginati sunt; ex hujuscemodi imaginatione objici possit, quod minima spatii particula hinc esset quidem infinita & æterna, seu Deus Infinitus & æternus, unde tot essent Dii quot particulæ, &c. Demonstravimus autem Deum esse ens simpliciſſimum, unum, & Indivisibile, unde sequitur in eo nullas dari partes; Hujusmodi ergo objectio nihil est præterquam imaginationis ex usu depravatæ omnia Materializantis illusio ac præstigium; Extensio quidem abstracte sumpta, nil nisi notio Logica est, seu modus Cogitandi, extensum pariter abstracte sumptum itidem modus cogitandi est, & quatenus Infinite divisibile objectum Geometriæ Universale constituit, quatenus autem realiter cum Ente Physico corporeo conjunctum, an aliter sit divisibile quam quatenus compositum prorsus nescimus, quatenus

tenus autem in reali & æterna Prototypaque eſſentia neceſſario præexiſtit, perfectisſime eſt Indiviſibile. Unica & eadem vis Infinita & Indiviſibilis ubique tota diffunditur, & omnia intime pervadit, ſuſtentat, penetratque; neque a diviſibilitate phyſica ſeu Extenſi Materialis ad diviſibilitatem extenſi abſolute cujuscunque argui poſſit; uti neque a Diviſibilitate Logica ſeu Mentali ad Diviſibilitatem realem illius τῦ extenſi realiter & vere indiviſibilis.

COROLL. III.

Ex hujuſce Propoſitionis Demonſtratione ſequitur Potentiam quæ Deo congruit revera eſſe id quod (vulgo) omnipotentia nominatur, quæ hinc etiam ad omne poſſibile ſe extendit, h. e. ad omne quod, ut fiat, contradictionem non involvit; omne enim poſſit fieri quod contradictionem non involvit; ſed poſſe *omne facere* ad eſſentiam *omnipotentiæ* qua talis pertinet, aliter enim limitaretur contra hypotheſin, ſeu ipſam *omnipotentiæ* definitionem, ſeu eſſet potentia finita quod Enti (abſolute) Infinito minime congruit; ad omne ergo poſſibile ſe extendit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [75] - 71

tendit, &c. Q. E. D. Hoc autem est ad omne creabile, seu omnia creabilia, quæ sunt nobis innumerabilia, uti antea insinuavimus.

SCHOL.

Quantitas quælibet potentiæ cujusvis finitæ ad Ens finitum (quod antea nequaquam, h. e. neque quoad materiam neque quoad formam extiterit) producendum nihil omnino quidem valet, seu nihil potest, seu si more Mathematico rem designare liceat = 0; aut (si malles) idem valet ac potentia absolute Infinita ad Ens absolute Infinitum (extra seipsum seu quod non sit absolute æternum) producendum; unde sequitur quod potentia Infinita = 1. in hoc casu, seu quod potentia Infinita idem valeat efficere; aliter inter hanc & illam nulla daretur differentia, quod repugnat; Rem enim quamlibet alia qualibet infinite potentiorem esse, est posse id gradu actualiter Infinito quod altera nequaquam possit, hoc est, posse id absolute, quod altera nequaquam potest, licet assignabili quovis gradu deveniret potentior; summa enim

enim quantavis finitarum virium ſemper æquabitur quantitati finitæ; & niſi ratum fixumque ſtet, quod unum abſolute poteſt id, quod alterum, quantumvis intra finitudinis limites potens, nequaquam poteſt, niſi, inquam, hoc concederetur, omnipotentia nullibi quidem exiſteret, ſeu nihil revera omnipotens daretur, ſeu quod eodem redit, non magis potis eſſet potentia Infinita quam finita, quod implicat.

Ad mutationes quidem omnes in Materia jam exiſtente & proprietatibus requiſitis Induta efficiendas vis valeat finita ac delegata; quæ quidem quantaçunque ſit, tamen ad Infinitum augeri poſſit, imo par forſan fiat ad formandum e datis Materia & Cæteris (quotquot ſint nobis tam nota quam ignota) requiſitis quodcunque Corporum ſyſtema, vel ſyſtematum quemcunque numerum, formatumque regendum; nihil enim factu finitum potentiæ finitæ poſſit ita reſiſtere, quin reſiſtentiæ iſti ea par concipi vel fieri poſſit ſuperandæ; hinc vero nihil objectum erit potentiæ actu Infinitæ, qua talis,

lis, proprieque ſic dictæ, niſi quod vim omnem finitam (utcunque magnam, utcunque creſcentem) Infinite ſuperat. Ad actuale autem Infinitum non datur approximatio, licet a finito quovis termino excurſus Infinitus dari poteſt. Porro

COROLL. IV.

Deum actu velle, ut Creata exiſterent actu, eſt *velle illud Intenſivum & Infinitum ſeu Creativum*, quo res producit, ſeu ſimul *poſſe & velle* eſt Creaturas producere, ſeu creare.

SCHOL.

Ab æterno voluit Deus ut creata cum tempore ſimul exiſterent, ſeu potius cum duratione finita, cujus Menſura eſt Tempus, duratio quippe finita eſt cum finita rerum Exiſtentia reciproca, quæ optime menſuratur per motum; ea autem aliter exiſtere velle quidem non potuiſſet, quia contradictionem, ſeu impoſſibilitatem a parte rei involveret, (uti ex antea dictis ſatis liquet.) Sed & neque porro minus finita extitiſſet earundem duratio, ſiquidem per motum non Menſurata fuiſſet,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [78] - 74

ſet, Materia etenim absque motu extitiſſe potuiſſet, & nihilominus finita ejusdem duratio cum finita ejusdem exiſtentia fuiſſet reciproca; eodem prorſus modo, quo æternitas abſoluta, cum abſoluta Infiniti Exiſtentia; licet autem duratio finitorum ſine menſuratione motus, concipi poſſet: vix tamen ſine motu menſurabitur.

Objectum porro potentiæ hujus Creativæ, ſeu potentiæ Intenſive infinitæ, in creando ſemper erit quid poſitivum & nihil aliud; nihil enim creare, eſt non creare, aut privationem creare eſſet *deſtruere* non creare; idem mutatis mutandis, intellige de defectione quavis a regula, &c.

COROLL. V.

Cum autem finita a ſe nullas vires ad Exiſtendum habeant, potentia hæcce non minus conſpicua eſt in eorundem Conſervatione, quæ (ut antea inſinuavimus) quaſi continuatio eſt perpetua actus Creativi. Hunc ad modum *Proſper*, *ſententia 277. Ex Auguſtin. lib. 4. de* Geneſi, *c. 12.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [79] - 75

c. 12. Creatoris omnitenentis omnipotentia Cauſa eſt ſubſiſtendi omni Creaturæ: quæ virtus ſi ab eis quæ condidit regendis aliquando ceſſaret, ſimul omnium rerum ſpecies & natura concideret, proinde quod Dominus ait, Pater meus usque modo operatur, *continuationem quandam operis ejus qua ſimul omnia continet & adminiſtrat, oſtendit, &c.*

COROLL. VI.

Hujusmodi denique Intenſitas Infinita quodammodo adumbrari concipiatur in *Univerſa realitate divina*, qua Potentia Divina non magis Potentiam finitam ſuperat, quam ipſa realitas Divina Realitatem Creaturarum; Unde Eſſentia noſtra, Exiſtentia, Duratio, Vita, &c. comparate ad illum pro nihilo, vel ad inſtar nihili haberi poſſunt, quod ſatis diſerte innuit Propheta, *Iſai. 40. v. 17.* hiſce verbis, כלהגוים כאין נגדו מאפס ותהו נחשבו לו. in vulgar. traduct. Latina *Omnes gentes velut nihil ſunt, minus nihilo & inanitate reputantur ei.*

Ex hiſce tandem brevis hæcce Dei Deſcriptio,

ſcriptio, utut inadæquata veluti Corollarium generale totius hujuſce conaminis inferri poſſit, viz.

DEUS EST

1. *Ens abſolute a ſe exiſtens, in omni perfectionum genere Infinitum, h. e. Infinito modo τὸ πᾶν ſeu omnium rerum eſſentiales Perfectiones in ſemet ipſo primario complectens modo Infinito & (fas ſit verbis) longe Realiſſimo; unde etiam (ut & aliunde quoque probatum eſt) Infinite actuoſum, ſeu Mens Infinita, & quicquid mentem Infinitam vel exprimere vel conſequi poteſt, & ut cum antiquis quibusdam loquar*

2. *Πήγη ἀεννάϵ Φύσεως, Rerum omnium quæ ſunt cauſa vere efficiens, vere Creatrix, quas licet non ſui (eſſentia prorſus) diſſimiles (hoc etenim perfectioni Infinitæ qua tali Impoſſibile eſſet) revera tamen diſtinctas & eſſentia quam ſeparatiſſimas, originarie produxit & perpetuo conſervat.*

3. *In quo productionis Pariter ac conſervationis, actu Infinitam attributorum ſuorum Intenſitatem (ſpeciatim veram omnipotentiam,*

tentiam, h. e. potentiam vere Infinitam) prodiderit ac demonſtraverit.

SCHOL.

Subſtantiæ omnes quæ ſub Cognitionem humanam cadere poſſint, cum aut extenſæ ſint cum mole impenetrabili, vel ſine iſta mole cum vita eſſentiali, utriusque fontem in *ente Infinito* indagavimus; an quid aliud ſit (nobis prorſus incognoſcibile, quia natura noſtra aliud quid non involvit) nos in æternum latere neceſſe eſſe.

FINIS.

EPISTOLÆ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [82] - 78

EPISTOLÆ MISCELLANEÆ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [83] - 79

VIRO REVERENDO

ET

AMICO SUO INTEGERRIMO

JOH. HARRIS,

S. T. P.

SUMMO MAGNÆ BRITANNIÆ CANCELLARIO A SACRIS DOMESTICIS

NEC NON

SOCIETATI REGIÆ A SECRETIS.

Hocce EPISTOLARUM Volumen

D. D. C.

JO. RAPHSON.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [84] - 80

EPISTOLÆ MISCELLANEÆ.

EPIST. PRIMA.

Amico ſuo Integerrimo Johanni Forteſcue *Armig. &c.*

Amice Colendiſſime,

QUæ ſæpius inter nos olim de Mente humana agitata fuerint, anſam mihi dedere Quæſtionem iſtam nuperrime in mentem revocandi, ad quam non parum contulere diſceptantium quorundam Neotericorum non ita pridem in lucem publicam emiſſæ Diſſertatiunculæ, Rem in utramque partem ſat ſuperque diſtrahentes. Inter Veteres quidem nihil ſententiis magis inter ſe diverſis litigatum fuerit, & ejusmodi Lites Hodierni quidam reſuſcitarunt, & etiamnum agitant. Ut ab antiquis exordiamur, Hiſtoriolam præcipuorum quorundam contexturus, eandem ſynoptice tibi (quam diſperſim olim Colloquia inter frequentiora tractavimus) reviſendam exhibebo. Ab initio

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [85] - 81

tio quidem non defuere qui animam substantiam esse incorpoream, a corpore realiter separabilem Existimarunt, alii licet crasin, alii ignem, alii aerem, alii ventum, alii denique sanguinem, eandem esse sustinuerunt; *Dicæarchus* Pherecydem quendam Phthiotam senem differentem inducit, *nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totum inane; neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia; vimque omnem eam qua vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem a Corpore esse, quippe quæ nulla sit, nec sit quicquam, nisi corpus unum, simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat & sentiat. Tuscul. Quæst. 1.* sed & *Pherecydem Philosophum* Cicero tradit primo *de æternitate animarum disputavisse, contra hanc Dicæarchum primo, deinde Democritum, postremo Epicurum.* Nonnulli equidem inter Patres Christianos haud magis perspicua de Natura animæ attulerunt; Quos inter *Lactantius animam* voluerit *similem esse lumini quæ non ipsa sit sanguis sed humore sanguinis alitur, ut tamen oleo, &c.* Et exinde post longam satis disquisitionem

nem

nem concludit animam esse *Nescio quid Deo simile.* Variæ porro variorum de ejusdem origine fuerint sententiæ, quorum aliqui eandem *e potentia Materiæ* educunt, alii *per Traductionem* quandam *Immaterialem*, alii denique *immediate creatam* a Deo, quorum alteri *creando infusam*, uti loquuntur, & *infundendo creatam*, alii autem *corpori præexistentem* crediderint. Nimis longum esset neq; operæ pretium, sententias hasce omnes ad proprios earundem authores referre, vel iisdem aut explicandis aut refutandis ulterius insistere; Antiquiorum quorundam opiniones, quæ adhuc apud Quosdam autoritate vigent, ut & earundem resuscitationem ab Hodiernis quibusdam, novasque iisdem facies atque formas superindutas hic solum coram sistam; Et, ut a Corporeis seu Materialibus animis incipiamus, cum primis celebris est illa *Epicureorum*, quam a celebratissimo Poeta ejusdem Propagatore ac Defensore strenuo *T. Caro Lucretio*, jam transcribam, & eandem nuperrime redivivam orbique propinatam, licet exitu (lubens quidem fateor) valde differenti, (illa, scil. *Lucretii* in æternum annihilanda, hac

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [87] - 83

autem in *resurrectione* revictura, seu potius cum Corpore, cujus sit quasi modus *Vitali Modificatorius*, redintegranda) in paralleliſmum redactam, ob consimilem prorsus Naturam, ob oculos tuos simul breviterque jam exponam. Quoniam autem nullam Authori injuriam a me illatam esse, vel ipse vel ejusdem amici conquerantur, utrumque in proprio (quo conscripserint) idiomate per totum huncce paralleliſmum citabimus, & ita quidem alterius citatio, pro alterius Traductione sufficere possit.

Dr. COWARD.	LUCRETIUS.
	Edit. *Cantab. An. 1686. Lib. 2. pag. 40.*
Page 153. Grand Essay, *I assert that God has given all matter, as now created, and inform'd, a power to move it self.*	— Quo nunc in motu principiorum Corpora sunt, in eodem anteacta ætate fuere, Et posthac semper simili ratione ferentur.

P. 128.

COWARD.

P. 128. *Man could not think at all had he not a Body.*

P. 129. *Why may I not reasonably define* Thought *to be the* result *of certain Effluviums from the Brain, raised and continued by a perpetual Circulation, or Rotation of Ideas thereon Impress'd.*

P. 137. *Eminently the original of all*

LUCRETIUS.

Libr. 3. p. 79.

Sic animus per se non quit sine corpore, & ipso
Esse homine — —

Ibid.

Nec sine corpore enim Vitales edere motus,
Sola potest animi per se Natura —

Lib. 3. p. 75.

— Quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factum, quam liquidus humor aquai'st.
Aut nebula, aut fumus — —

P. 69.

Principio esse aio persub-

COWARD.

thought must be from sensible Ideas, and those Ideas acting, but as I may say, modo Immateriali, *on the animal spirits.*

In Observationibus in Librum quendam Dni. Manlove, *p. 23. Whence it appears that these Blood and Spirits cause that Sense and Life in the Body, which they themselves have not, when separated from it; and the like we say for the Inflamed spirits, which ascend up to the Head, and actuate the organs there*

LUCRETIUS.

persubtilem atq; minutis
Perquam Corporibus constare —

L. 4. p. 96.

Dico igitur rerum effigias, tenuesque figuras
Mittier ab rebus summo de Corpore earum.

L 2. p. 55.

Nunc ea quæ sentire videmus cunque necesse'st
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare —

P. 57. & 58.

Scire licet gigni posse ex non sensibu'sensus.

COWARD.

there found: We say that the Kephaline *Organs depriv'd of such spirits are not Intelligent, but a dead and stupid matter. And that the inflamed Spirits [tho' of great mettle and activity] are neither intellective nor sensitive; but that by acting the* Kephaline *organs, they cause and produce Life, Sense, Reason and Activity in the Person, &c.*

Et Rursus, *p.* 25. Adducta similitudine organi inquit; *The Inflamed spirits of Blood have neither Affections, Sense nor Intellect; nor have the Kephaline Organs*

LUCRETIUS.

Et ridere potest ex non ridentibu'-factus
Et sapere, & doctis rationem reddere dictis
Non ex seminibus sapientibus atque disertis.

P. 56.

At nequeant per se partes sentire nec esse
Nec manus a nobis potis est secreta, neque ulla
Corporis omnino sensum pars sola tenere.
Namque alium sensus membrorum respuit omnes,
Linquitur ut totis animalibus adsimulentur;

COWARD.

these powers of, or, by themselves; but the Spirits acting these Organs, as the Wind does in the Organ Pipes; there is produc'd in both fabricks in statu Composito, *by those powers so acted, that which is in no measure found in the constituent parts of such a* Compositum, *consider'd in a state of separation from one another.*

In 2da. Parte *scrutaminis*, &c. *p.* 169. inter alia Argumenta hunc syllogismum adducit.

That which can neither act or subsist in the Body, without the supplies and supports of Material

LUCRETIUS.

Vitali ut possunt consentire undique sensu.

L. 3. p. 79.

Nec sine Corpore enim Vitales edere motus
Sola potest animi per se Natura: nec autem
Cassum anima corpus durare & sensibus uti.

L. 2. p. 55.

Ergo omnes natura cibos in corpora viva

pro-

COWARD.

provisions, is it self Material. But the Soul cannot act or subsist, &c. Ergo & ad Minorem probandam tria adducit necessaria ad animæ subsistentiam, scil. ibid. *Air, Blood, and food or nourishment, of which if any of them fail or be wanting, the Soul cannot act or subsist in the Body, but must needs part from it, either by extinguishment or avolation.*

P. 130. Conam Magn. Ait convalescente homine regulares esse ejusdem cogitationes; *but if (these) motions of the Animal spirits be perverted, as by a Ma-*

LUCRETIUS.

Vertit, & hinc sensus animantum procreat omnes
Non alia longe ratione, atque arida Ligna
Explicat in flammas & in ignes omnia vertit.

L. 3. p. 36.

Quinetiam morbis in Corporis avius errat

COWARD.

nia *or an* Hydrophobia, *especially* Where the Disease guides the Thoughts, *by the Impressions, the Poyson from the Mad Dog communicates to them, or be hurried by too great a violence, as by Drunkenness and Fevers (things I hope not capable of affecting an Immaterial substance.) Man* thinks he knows not what, all regulation of thougt is lost, *and the rational Agent becomes no more, and acts no better than a violent Engine driven on by involuntary motion*, &c.

LUCRETIUS.

Sæpe animus; dementit enim deliraque fatur,
Interdumque gravi Lethargo fertur in altum
Æternumque soporem, &c. —

P. 77.

Denique cur hominem, cur vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor
Consequitur gravitas Membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, TardescitLingua, madet mens,
Nant oculi?
Cur ea sunt nisi quod vehemens violentia vini.

Denique

COWARD.

Denique in Observationibus in Dom. *Manlove*, p. 125.

Our experience teaches us, that there are no real differences between the bodily Organs and Members, and this sort of spirit of which we are now speaking; but they live and act together, during the time of their contexture, in the greatest

LUCRETIUS.

Conturbare animam consvevit corpore in ipso
At quæcunque queant conturbari, inque pediri
Significant, paulo si durior insinuarit
Causa, fore ut pereant ævo privata futuro.

L. 3. p. 73.

Nam communibus inter se radicibus hærent,
Nec sine pernicie divelli posse videntur;
Implexis ita principiis ab origine prima

Amity

COWARD.

Amity and Sympathy that can be imagined: They are pleas'd and displeas'd, rejoyce and mourn together, as two constituent parts of the same person; they grow together to a state of perfection, are sick and well together, decay and decrease in like manner; and when Men live to the uttermost Age, their Perceptions, Understanding and Memoires, fail oftentimes before their Tasting an Feeling, which continues with them the whole extent of their Lives: Then the Person consisting of such Flesh and Spirit dies together, in exitu autem

LUCRETIUS.

Inter se faciunt consorti prædita vita:
Nec sine vi quicquam alterius sibi posse videtur
Corporis atque animi seorsum sentire potestas:
Sed communibus inter eas conflatur utrinque
Motibus accensus nobis per viscera sensus. *Et*
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas
Consilium quoque majus & auctior est animi vis, &c.

P. 76.

Præterea gigni pariter cum Corpore & una

ani-

COWARD.

animarum æterno, longe differt (uti fatendum est) a *Lucretio, Cowardus;* post antedicta enim adjicit.

The Flesh and Members turning to dust, and the Spirit which is the flame of Live extinguishing at the time of that separation: And at the time of the Resurrection shall be raised, &c.

Quoad Conflictum inter rationem & passiones hæc habet in scrutamine, &c. p. 101.

LUCRETIUS.

Crescere sentimus, pariterque senescere mentem:
Post ubi jam validis quassatu'st viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque Mensque,
Omnia deficiunt atque uno tempore desunt, &c.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai Naturam, &c.

A Setting-Dog hath a great desire to run, and his Mouth will work, and his Chaps water, and yet he contains himself and sits still in sight oft his Game, for a long time together. Huc liceat addere quæ alicubi in *Conatibus* suis habet *D. Mon-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [97] - 93

D. Montaigne, Canes ſcil. Venaticos diſcurſu uti ſeu ratiocinari, & etiam ſyllogiſmos conficere, cum nimirum poſt amiſſum lepus, &c. trivio occurrentes olfaciendo primam atque ſecundam ſemitam, fruſtra tentantes tertiam ſtatim absque olfactu corripiunt, quia ſcil. inquit *D. Montaigne* aut hac aut illa aut tertia denique tranſiverit, ſed non in prima neque ſecunda, ergo neceſſario in tertia; ſed de hiſce ſatis. Fateor quidem hanc Hypotheſin quam amplexus eſt *D. Cowardus* cum Religione poſſe conſiſtere, & tempus amiſſæ ſeu interruptæ vitæ maxime diuturnum, quaſi Momentum eſſe & contemnendum *quid* reſpectu æternitatis ſeu vitæ interminabilis. Hiſce adjici poſſit, quod de homine ſylveſtri ſeu inter urſas educato circa *Leodium*, *p. 180.* habet, ut & narratiuncula Conſimilis Caſus in *Polonia* quem Narrat *D. Connor* in Epiſtolis ſuis de *Polonia* conſcriptis, Infantis ſcil. inter feras Viventis, & rationis uſum nullum alium præter belluinum habentis, &c. Et licet hæcce *Cowardiana*, uti diximus, poſſint cum religione conſiſtere, & idem Homo in Reſurrectione redintegrandus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [98] - 94

grandus vivat in æternum, liquet tamen hæc non minus quam Hypothesin Vulgarem Immortalitatis animarum ei cum Ethnicis communia esse, uti ex hisce quæ hic attulimus patet; & si Animam Ethnicorum Immortalem Christiani pariter defendant, eorundem maxime Ethnicam sibi vindicandam elegerit *Cowardus*, & tamen Ethnicismi adversarios suos incusat, sed id, quod *D. Cowardum* inter cætera ad hæcce moverit, erat incomprehensibilitas *Animæ Immaterialis inextensæ*, quam Impostoram Philosophicam ubique & non quidem immerito vocitat, &c.

sum, &c.

Dat. e Villa (vulgo dicta) *Marybone*,
Calendis *Mart.* &c. 1709.

EPIST. SECUNDA.

Ad Eundem.

Amice Colendissime.

JAm ad alteram Narratiunculæ hujusce ὁλοψυχικὴν partem, ut promissis starem, accedo; & ea complexura est quæ de hacce re præcedente sæculo Meditatus est Nostras

Nostras *Hobbius*, quæ non majori probabilitate quam præcedentia nituntur; neque multo acuratiorem hujusce Phænomini scil. *Cogitationis* solutionem continent; *Cap. 25.* Physic. hoc modo rem aggressus est. *Phænomenῶm omnium quæ prope nos existunt id ipsum φαίνεσθαι, est admirabilissimum, nimirum in Corporibus Naturalibus, alia omnium fere rerum, alia Nullarum in seipsis exemplaria habere; adeo ut si Phænomena Principia sint cognoscendi cætera, sensionem cognoscendi ipsa Principia Principium esse, scientiamque omnem ab ea derivari dicendum est; & ad Causarum ejus Investigationem ab alio Phænomeno præter eam ipsam initium sumi non posse. Sed quo, Inquies,* sensu *contemplabimur sensionem? Eodem ipso scilicet aliorum sensibilium, etsi prætereuntium, ad aliquod tamen tempus manens* (rectius credo *manentium*) *memoria. Nam sentire se sensisse meminisse est.* Hucusque quidem satis præclare, nisi aliquis cum Horatio forsan exclamaret,

Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?

Quæ

Quæ ad hæc solvenda postea adfert, longa satis orationis ambage Explicata, ipse si (placeat) possis consulere, pauca tantum hoc loco excerpemus. *Inquirenda ergo ante omnia* (inquit) *sunt sensionis, id est, earum, quæ sentientibus nobis innasci perpetuo experimur, idearum, sive Phantasmatum Causæ, & modus quo procedit generatio.* Observatque *ea generari atque perire, ex quo*, inquit, *intelligitur ea esse corporis sentientis mutatio aliqua; Mutationem autem omnem motum esse aliquem vel conatum, qui conatus etiam motus est*, &c. *Sensio igitur in sentiente nihil aliud esse potest præter motum partium aliquarum in sentiente existentium, quæ partes motæ organorum quibus sentimus partes sunt. Et paulo ulterius ostensum item est* (in Cap. 15. Art. 2.) *Resistentiam omnem esse conatui conatum contrarium*, id est, *reactionem. Quoniam igitur motui ab objecto per media ad Organi partem intimam propagato, fit aliqua totius organi resistentia sive reactio, per motum ipsius organi internum Naturalem, fit propterea conatui ab Objecto conatus ab organo contrarius; ut cum conatus ille ad intima ultimus actus sit eorum qui*

 fiunt

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [101] - 97

fiunt in actu sensionis; tum demum ex ea reactione ALIQUANDIU DURANTE *ipsum existit Phantasma; quod propter conatum versus externa, semper videtur (φάνεσθαι) tanquam aliquid situm extra Organum. Definitionem ergo sensionis, eamque ex causarum ejus Explicatione & generationis ordine constantem sic totam proponemus;*

„Sensio est ab Organi sensorii conatu ad „extra, qui generatur a Conatu ab objecto versus Interna, eoque aliquandiu „manente per reactionem factum Phantasma.

Rem autem totam brevius & quidem clarius e *Cap. 1. Leviathan*, sic accipe. *Causa sensionis est externum corpus sive objectum quod premit uniuscujusque organum proprium, vel immediate, ut in sensu tactus & gustus, vel mediate ut in visu, auditu, olfactu & premendo (mediantibus nervis & membranis) continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, & inde ad Cor; Unde nascitur Cordis resistentia, & contrapressio seu ἀντιτυπία, sive conatus Cordis deliberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum, atque apparitio*

hæc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [102] - 98

hæc sive Phantasma est id quod vocamus sensionem; In *Cap.* 2^do^. similitudine sumpta a mari Intumescente, turbido facto, neque statim cessante vento, recomposito, Imaginis in Imaginatione durationem Explicare aggressus est, ut & in somniis. Cap. 3^tio^. *Discursum Mentalem* vocat *seriem imaginationis seu successionem unius cogitationis ad aliam*, &c. Et seriem Cogitationum in *irregularem* & *regularem* dividit. In prima inquit *vagatur Cogitatio*, in utraque Catenam quandam in in illa quidem *fortuitam & aliquando Interruptam*, in hac *continuam & regularem* conficit, &c. Hoc obiter observandum est quod *Lucretio* & *Hobbio* inter se de eadem sensionis sede convenit, viz. *Corde*, uti Libro 3^tio^. *p.* 68. *Lucretii* constat.

Consilium quod nos animum mentemque vocamus
Idque situm media regione in Pectoris hæret.

Cap. 25. Phys. §. 5. inquit, *Etsi sensio, uti diximus, omnis fiat per reactionem, ut tamen quicquid reagit sentiat necessarium non est. Scio fuisse Philosophos quosdam, eosdemque*

demque Viros doctos qui corpora omnia sensu prædita esse sustinuerunt ; nec video si Natura sensionis in reactione sola collocaretur quomodo refutari possunt. Sed etsi ex reactione etiam Corporum aliorum Phantasma aliquod nasceretur, illud tamen remoto objecto statim cessaret ; nam nisi ad retinendum motum impressum, etiam remoto objecto, apta habeant organa, ut habent animalia, ita tantum sentiunt, ut nunquam sensisse se recordentur ; id quod ad sensionem, de qua nunc sermo institutus est, nihil attinet.

Non possum quidem satis mirari (nisi id ab *Hobbio* mutuatus fuerit, quem uti Virum profundum tum temporis celebravit) qui in huncce erorem incidere potuisset, etiam Vir alioquin Acutissimus & Geometra Præstantissimus G. G. *Leibnitius*, qui in *Theoria* sua *Motus abstracti* ad calcem *hypotheseos Physicæ Novæ* subnexa, *Londini* anno 1671. Impressæ, hancce ipsam cogitationem admiserit, *p.* 11. inter *fundamenta sua* (quæ vocat) *prædemonstrabilia*, hoc habet (not. 17.) *Nullus conatus sine motu durat ultra momentum præterquam in Mentibus.* (de hoc postea.)

Omne

Omne enim corpus est Mens Momentanea, seu carens recordatione, quia conatum simul suum & alium contrarium (duobus enim actione & reactione seu Comparatione, ac proinde Harmonia ad sensum, &, sine quibus sensus nullus est, voluptatem vel dolorem opus est) non retinet ultra Momentum. Ergo caret Memoria, caret sensu actionum passionumque suarum, caret cogitatione. Quid sibi per *Mentem cogitatione carentem* voluerit, non possum satis intelligere. Hoc modo Corpora omnia (gravia saltem) cogitarent, quia gravitatio in Corporibus etiam quiescentibus est Conatus Continuus, a Causa externa continuo agente, scil. gravitate, oriundus: Unde nimio pondere onustæ seu pressæ ædes, &c. sæpe corruunt. Impossibile est autem ut corpus unquam cogitare posset, uti posthac ostendemus. Philosophis istis quos *Hobbius* dicit sensisse corpora omnia sensu prædita esse, annumerari possit vir olim celeberrimus, *D. Fr. Glisson*, M.D. & in Academia *Cantab.* Medicinæ Professor Clarissimus, in Tractatu suo de *Natura substantiæ Energetica*, seu *de Vita Naturæ*. Sed, ni fallor, uti jam dixerim,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [105] - 101

neque Materia per se, aut quovis modo Modificata, vel quovis motu (sive rectilineo, sive ut alicubi vult *D. Cowardus* circulatorio) donata, unquam Cogitationis capax esse possit; quod brevi tibi me ostensurum spero. Interea, &c.

POSTSCRIPTUM.

Coincidit cum *Cowardo* quod habet *Hobbius*, Cap. 44. de Regno Tenebrarum. *Pag.* 295. Oper. Edit. in Quarto, &c. *Supposito enim Morientis hominis restare nihil præter cadaver ejus, Nonne Deus qui Hominem ex terra, verbo suo fecit vivere, eadem facilitate facere poterit, ut Cadaver Mortuum reviviscat, & vivat in æternum, eodem verbo?* Et alibi; *Anima in Scripturis semper significat aut vitam, aut creaturam viventem; Corpus autem & Anima conjunctim idem significat quod Corpus vivens.* Item Cap. 45. *Ubi Christus dicit spiritum non habere carnem & ossa, etsi spiritus esse affirmet, illos tamen corporeos esse non negat. Item ubi* S. Paulus *dicit de Electis, quod resurgent Corpora Spiritualia, Naturam Spirituum agnoscit sed Corpoream,* &c. *Anima Immortalis*, inquit, *in SS. S. nusquam*

quam Legitur, neque substantia incorporea, a Corpore separata; Spiritus autem & Vita æterna passim leguntur. Quod Animæ fidelium, non sua Natura, sed Gratia Dei speciali una cum Corporibus a resurrectione mansuræ sunt in æternum, ex Scripturis Sacris ostensum est, Cap. 38. Et hisce haud absimilia habet, *D. H. Dodwellus* in Libro suo nuper edito, cui Titulus *Discursus Epistolaris*, &c. Animas scil. humanas non sua Natura sed speciali Dei Gratia Immortalizandas esse, &c. Quod & etiam a Platone forsan partim mutuatus sit, Qui in Timæo dicit, *Quod Natura sua solubile est, & morti obnoxium, imperio divino potest fieri Immortale, adeo ut nunquam mortis subeat necessitatem*, hoc quidem Cor-pori Glorificato post resuscitationem a morte adventurum in SS. Scripturis promissum est.

E villa (vulgo dicta) *Marybone*,
11. *Mart.* $170\frac{8}{9}$.

EPISTOLA TERTIA.

Ad Eundem.

Amice Colendissime.

JAm tandem ad cæteras Animarum formas deveniemus, quas in hac Epistola simul complectemur. Jam olim eminuerit & etiamnum inter quosdam eminet, opinio eorum qui animam quasi ἀπόσπασμα quoddam Divinitatis conceperint, in quam sententiam olim iverint Stoici & inter Recentiores quidam Enthusiastæ, quorum meminisse vix operæ pretium erit; neque melioris notæ sunt* Philosophi illi qui *Commune Intelligens*, seu *Unicum Universalem Intellectum* quem *Agentem* nominarunt, in mundo stabiliverunt, eundemque hominibus pro varia ratione & dispositione Organorum suorum impertiverint. Ab hisce quidem non multum abludit (inter hodiernos) *B. de Spinosa*, qui in Ethices suæ parte 2da. Prop. 10a. hæc habet. Ad *Essentiam hominis non pertinet esse substantiæ, sive substantia formam hominis non constituit.* Et Prop.

* In hanc opinionem nuperrime iverit, *R. Burthogg.* in Epist. ad *V. C. J. Lock.*

Prop. II. *Primum quod actuale Mentis humanæ esse constituit, nihil aliud est quam idea rei alicujus actu existentis.* Et in Coroll. *hinc sequitur mentem humanam partem esse Infiniti Intellectus Dei.* Et Prop. 13 p. 2dæ. *Objectum Ideæ humanam mentem constituentis est Corpus sive certus Extensionis modus actu Existens & nihil aliud.* Hinc porro obiter liquet eum in hypothesin suam *Pantheisticam*, seu potius Atheisticam e Cartheſianismo, quem parum antea amplexus erat, transiviſſe, & quidem transitus facilis est, cum enim quis Impossibilitatem seu inconceptibilitatem *Substantiæ inextensæ* deprehenderit, & inde Materiam per extensionem definiverit, seu cum Extensione eandem reciprocam esse credat, Naturalis inquam inde datur transitus ad *Atheismum*, seu *Opinionem* nihil in Universo præter Materiam dari; & hinc ipse *Spinosa*, Nostras *Hobbius*, innumerique alii *Hylothei* seu Athei devenere & quotidie deveniunt, quod aliqui ex eorum numero mihi palam fassi sunt. Sed ad Spinosam revertamur. Prop. 43. p. 80. in Scholio sic loquitur; *Mens nostra quatenus res vere percipit,*

cipit, pars est Infiniti Dei Intellectus, &c. & porro Prop. 23. Schol. *Memoriam & Imaginationem cum corpore destrui ponit*, & p. 258. Op. posth. Prop. 34. in Schol. dicit *Homines æternitatem Mentis cum duratione confundere, eamque imaginationi tribuere, quam post mortem remanere credunt.* Vid. etiam Prop. 23, &c. adeo ut proprie loquendo, Animæ Individuatio post mortem prorsus destruitur; & si quando aliter loqui videatur, uti Prop. 23. p. 5tæ. dicit, *Mens humana non potest cum Corpore absolute destrui, sed ejus aliquid manet quod æternum est.* ID ALIQUID de quo loquutus est, nihil præter æternam Dei essentiam est, uti in demonstratione videre licet.

Quoad Animas Modernorum incorporeas & a Corpore separabiles nimis notæ sunt quam ut Opinionibus de iisdem hic opus sit insistere. *Substantia inextensa* a Cartesio, quamque etiam a quibusdam inter Scholas habuerit, inter omnes fere hodie ventilata est. A multis recentioribus, (quos, quia passim omnibus noti sunt, hic non enumerabo) argumentis plerumque Metaphysicis generalioribus

&

& *ontologicis* (potius dicerem) *oudenologicis*, abstractis non solum a Materia, sed etiam ab omni Entitatis realis Natura possibili, rationibus, sat superque decertatum est. Conceptus licet ejusmodi formare prætendant quamplurimi, & sibimet ipsis *eosdem* credendos imponant, aliisque obtrudere conentur, revera tamen operam oleumque perdunt. Operationes Mentis ab ejusdem essentia prius præscindunt, ac proinde easdem pro ipsa Mentis Essentia substituunt in rerum Natura realiter, modo tamen inextenso, existente; quæ omnia a tricis quibusdam Scholarum & *Cartesii* & modernorum quam plurimorum de Natura Divisibilitatis, & nugationibus inde oriundis quam nugacissimis, nihilque solidi habentibus, differentium quotidie profluunt; quibus tamen demonstrandis maxime insudant & vanissime laborant; sed de hisce plura imposterum. Inter Patres Ecclesiæ Christianæ (quorum quidam satis inaccurate hac de Re loquuti sunt) *Tertullianus* credidit esse corpus quicquid erat (NB. Extensionem cum Materia seu corpore reciprocam existimaverit, uti ex sequela patebit)

patebit) *quis enim* (inquit) *Negabit Deum Corpus esse etsi spiritus est? Spiritus enim Corpus est sui generis in sua Effigie.* Cap. 7. *Definimus animam esse Dei Flatu Natam, Immortalem, Corporalem, substantia simplicem, De suo sapientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentiis obnoxiam, per ingenia nutabilem, rationalem, dominatricem, ex una redundantem.* Cap. 22. Ei Formam humanam & Membra tribuit. *Et in* Cap. 5. *Vult Platonem & Democritum hisce subscribere.* Rursus *& tamen non inconstanter profitebimur, solenniora quæque & omnino debita Corpulentiæ adesse animæ quoque ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantivum, Longitudinem dico & Latitudinem, & sublimitatem, quibus metantur Corpora Philosophi. Quid nunc quod & effigiem animæ demus? Platone Nolente, quasi periclitetur de Animæ Immortalitate; Omne enim effigiatum Compositum & structile, sed animam Immortalem & ineffigiatam qua Indissolubilem de An.* Cap. 9. *& paulo post sed nos Corporales quoque illi inscribimus lineas, non tantum ex fiducia Corporalitatis &c. rursus singularis alioquin & simplex, & de suo tota est non*

magis

magis instructilis aliunde, quam divisibilis ex se, quia nec dissolubilis: Si enim structilis, & dissolubilis; si dissolubilis jam non Immortalis; itaque quia non Mortalis, neque dissolubilis, neque divisibilis. Nam dividi & dissolvi mori est, Cap. 14. Hæc si sano sensu accipias, distinguendo scil. inter Corpus & Extensionem, posse esse vera seu verisimillima esse, postea ostendam; hisce consimilia habet etiam *D. H. Morus*. De immortalitate porro Animæ jam quæso egregie differentem audi *Senecam* Epistol. 102. *Cum venerit ille dies qui mixtum hoc Divini humanique secernat, corpus hoc ubi inveni relinquam: Ipse me Diis reddam; nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor, per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ longiorique proluditur. Quemadmodum novem Mensibus nos tenet Maternus uterus, & præparat non sibi sed illi loco in quem videmur emitti, jam idonei spiritum trahere, & in aperto durare; sic per hoc spatium quod ab infantia patet in senectutem, in alium maturescimus partum. Alia origo nos expectat: Alius rerum status; nondum cœlum nisi ex Interrallo pati possumus, proinde intrepidus bo-*

ram

ram illam decretoriam prospice: Non est animo suprema sed Corpori. Et Paulo post. *Detrahentur tibi hæc circumjecta, novissimum velamentum tui, Cutis: Detrahentur Caro & suffusus sanguis: detrahentur ossa, nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iste quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est.* Et Paulo inferius subjicit. *Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem totus adspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris; quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? &c.* Hisce etiam similia reperire licet apud *Platonem, Plotinum, Ciceronem, Epictetum, Arianum,* & alios Ethnicos Scriptores, & quiddam etiam apud ipsum *Aristotelem,* qui Libro secundo de ortu Animalium, *Cap. 3.* aperte dicit, *solam mentem foris subire corpus, & solum quid Divinum esse: Eo quod ipsius operationi corporalis operatio non communicet. Cæteras animas in materia vi seminis ingigni, eo quod omnis earum operatio a Corpore pendeat.* Hisce nihil habeo quod addam, nisi obiter adnotare Librum quendam, cui Titulus, *Transnatural Philosophy,* idiomate Angli-

Anglicano Anno 1706. impressum, Nuperrime in manus meas incidisse, conscriptum ab *J. S.* (quibus literis quendam nomine *Sergeant* indigitari audio) in Quo Hypothesin istam *inextensionis* rationibus ontologicis defendere conatur, & eandem Deo & Animæ demonstrandis adhibet; sed quoad maximam partem frustra. Summa eorum quæ de Deo profert, concinnius & multo brevius, a *Morino* Professore *Matheseos Parisiano* in initio *Astrologiæ suæ Gallicæ* superiore sæculo demonstrata sunt, siquidem ejusmodi dissertationes *Metaphysico-ontologicæ* demonstrationes dici queant; a quo sua omnia (quæ multo fusius postea prosequutus est) primo desumpsisse videtur. Sed ne prolixior quam par est fiam, hic manum de Tabula tollam, &c.

VVestmonasterii, 14. Decemb. 1709.

EPISTOLA

EPISTOLA QUARTA.

Ad Eundem.

Amice plurimum colende,

NIhil verius inter Adagia Veterum reperire licet quam tritissimum illud, ex *Horatio* desumptum,

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu — — — — —

Præjudiciorum, plerisque insuperabiles, Catervæ, quæ a Parentibus & Nutricibus tam Animæ formandæ, quam educandi Corporis, ad nos manant, hoc est, tam a Primis Præceptoribus, quam a Nutriculis fabulas aniles nobis primo obtrudentibus, sæpenumero altas adeo radices in nobis agunt, ut non nisi summa cura & labore postea eradicari queant. Sic præjudiciis *Cartesianis* a teneris innutriti nil præter substantias inextensas, & chimæras impossibiles somniant, cum de Ente aliquo incorporeo velint differere; Materiam & spiritum non solum differentes a se invicem essentias, sed & porro sibi invicem prorsus contrarias ubique statuunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [116] - 112

tuunt. Licet quid sit Ens enti prorsus & ex omni parte contrarium esse nunquam satis examinaverint: Enti nihil præter non-ens omni ex parte contrariatur, & revera Non entium speciebus h. e. Chimæris eorundem spiritus inextensi annumerari debent; in hac tamen sententia hærent quam plurimi Hodierni Philosophi. In eandem etiam & ipse a pueritia iverim, & jam olim exercitatiunculam conscripsissem, De *Necessaria naturæ spiritualis inextensione*, in qua in tot mirabiles argutias, & subtilitates omnem omnino captum exuperantes inciderim, quot & ipse ejusdem Hypotheseos admirator tunc temporis strenuus deglutire diutius non potuissem; Veriorem aliquam Naturæ Incorporeæ Notionem cum quibusdam aliis ex eo tempore indagare, aut rem deploratam prorsus relinquere, apud me statuissem, & inter cæteros non parum hisce Nugis e cerebro excutiendis contulit vir Doctissimus *H. Morus*, solidioris Philosophiæ Promotor strenuus, & sinceræ Religionis cultor assiduus; & nuperrime in Libellum Anonymi cujusdam Authoris anno 1705. idiomate

Anglicano exaratum inciderim, cui Titulus.

A Discourse concerning the Resurrection of the same Body, with two Letters concerning the necessary Immateriality of Created Thinking substance.

Qui venalis extat apud *A.* & *J. Churchill* in (vico vulgo dicto) *Pater-Noster-Row*, in quo inter cæteros hujusce Opinionis Fautores Virum admodum Reverendum, sed & hujusmodi præjudiciis maxime laborantem D. *N—m* excipit in *Theoria* sua *Mundi Idealis*, postquam dogmata quædam, Viri pariter Reverendi Domini *Br—n* examinasset. Sed nisi utrumque Authorem jamjam perlegisses, quod forsan graviora tua negotia minime permiserint, non injucundum erit tibi harum rerum *Judici Idoneo* quædam ex iisdem excerpta mecum breviter percurrere; Omissis iis quæ in virum celeberrimum omnique laude majorem, cujusque memoria cum multis aliis, nobis etiam æque semperque sacra (sat' scio) permansura est, *D. Johannem Lockium*, injuste satis retorserit; postquam hodiernum illud

Præju-

Præjudicium de reciprocatione Materiæ & Extensionis sese cum *Malbranchio* suo plusquam satis imbibisse ostenderit; hunc ad modum argumentatur, *Extensio*, inquit, *& Cogitatio duæ sunt Ideæ prorsus inter se distinctæ* (quod obiter omnes credo agnituri sunt saltem quoad in ente finito existunt) *imo*, pergit, *toto genere distinctæ* (potius dixisse debuisset quod credo innuere voluerit *toto genere contrariæ*, vel in eodem subjecto prorsus inconsistentes uti postea patet) *Unde pro liquido affirmare ausim quod extensio non sit cogitatio* [magna equidem detectio!] *Et sicuti* (extensio scil. & cogitatio) *distinctæ sunt, quoniam earundem ideæ distinctæ sunt, ita ens cogitans & ens extensum non minus sunt distincta, quia æque distinctas eorundem habemus Ideas: Aliud ergo erit ens extensum, aliud ens cogitans; & exinde velut ens cogitans non est ens extensum, ita neque ens extensum erit ens cogitans, & porro si ens extensum non sit ens cogitans, nonne inde liquido constat quod ens extensum non possit cogitare.* Minime gentium, sed quæso attendas & ejusdem syllogismos jam perpende.

Si ens extensum realiter distinguatur

ab ente cogitante, Tum ens extensum nequeat cogitare.

Sed ens extensum realiter distinctum est ab ente cogitante.

Ergo ens extensum nequit cogitare.

Tota jam, inquit, *rei cardo circa minorem versatur, an scilicet ens extensum realiter distinctum sit ab ente cogitante? quod sic probatur.*

Si ideæ entis extensi, & entis cogitantis inter se distinctæ sint, tum ens extensum & ens cogitans realiter distinguuntur.

Sed hæ Ideæ distinctæ sunt, ergo & res ipsæ quarum sunt Ideæ, p. 16, 17. Sed rectissime regerit Author, p. 186. *quod hi syllogismi ad rem nihil omnino faciunt; cum quæstio non sit de distinctione entium, vel, an ens extensum distinctum sit ab ente cogitante?* Sed de distinctione substantiarum, de qua nihil in hisce Syllogismis, *entia quippe distincta esse possunt, & tamen eorundem substantiæ ejusdem prorsus generis.* Sed pergit, *propositum fuit inquirere anne substantia extensa capax sit an incapax cogitationis; & ejusdem argumenta hunc ad modum exprimi debuissent.*

Si substantia Entis extensi realiter distincta sit

cta sit a substantia Entis cogitantis, hunc substantia extensa cogitationis incapax est.

Sed substantia entis extensi realiter distincta est a substantia entis cogitantis. Ergo substantia extensa incapax est cogitationis, seu nequit cogitare.

Jam tota Quæstio iterum in minorem recidet, quæ methodo Norrisiana sic probari debuisset.

Si ideæ substantiæ entis extensi & substantiæ entis cogitantis, realiter sint distinctæ tum substantia entis extensi realiter distincta est a substantia entis cogitantis.

Sed Ideæ substantiæ entis extensi, & substantiæ entis cogitantis, realiter distinctæ sunt.

Ergo substantiæ entis extensi reapse distincta est a substantia entis cogitantis.

Et quandocunque (pergit Author) D. N. Mundo ostendet Ideas duas substantiæ realiter distinctas, concedemus equidem, alteram esse Ideam substantiæ quæ substat extensioni, alteram autem substantiæ quæ substat potentiæ seu facultati cogitandi; cumque revera probaverit Propositionem minorem Norrisii sui argumenti, & demonstrationem suam reddiderit perfectam: usque quo valde vacillat, &c. Et p. 192. Substituatur

jam hoc verbum substantia *loco entis vel rei, & Error satis apparebit.* Rursus ibidem Optime eundem insecutus est, *si detur*, inquit, *creatura, quæ respondet ideæ entis extenso-cogitantis, tum neque idea entis extensi neque idea entis cogitantis adæquata erit idea istius creaturæ.* Sed fatendum est ideas *D. N* & *Cartesianizantium* omnium hac in re æque ac in sua ipsius *Cartesii* Philosophia universa valde esse inadæquatas, & uti tales serio considerantibus semper apparituras, quantamcunque de iisdem & *Malbranchio* suo opinionem conceperint. Neque de ejusmodi Philosophorum Noematis, ne dicam deliriis, meliores animadversiones quam in libro supra laudato facile repereris. Differentia enim Proprietatum nullo modo differentiam substantiarum quibus inhærent arguit, sed in eodem subjecto, (nisi vel Contrariæ vel oppositæ sint ipsæ proprietates) possit quam optime consistere. Sed hi Philosophi sunt, qui sua dubia, plerumque vanissima, & inadæquatos rerum conceptus, pro Principiis veræ & adæquatæ Cognitionis vellent stabilire; quam tuto viderint ipsi; Causæ enim-

vero

vero Atheismi hodierni præcipuæ hoc modo evaserunt, & evasuri sunt quamdiu vanissima hujusmodi Commenta, & Nugas *Cartesianas* pro Philosophia orbi obtrudant. Sum tibi ex animo, &c.

Dat. E villa (vulgo dicta)
Marybone, 24. Apr. 1709.

EPISTOLA QUINTA.

Ad Eundem.

Amice plurimum Colende.

JAm ad Ulteriores, in Commercio hocce Epistolico considerationes de Natura Mentis procedo. Et uti substantia inextensa, siquidem existeret, quatenus inextensa nihil loqueretur præter negationem extensionis, ita Immaterialitas solam negationem Materiæ exprimit; & substantia quidem nulla finita cogitat quatenus substantia, neque quatenus Immaterialis, neque denique quatenus inextensa, neque enim inextensio essentiæ conditio est sine qua nil possit cogitare, sed cum qua nulla substantia possit existere, seu quod revera negationem entitatis poneret, unde rectissime D. Morus extensionem inter modos entis realis reciprocos quatenus ens reale

reale substantiam exprimit, dinumeravit, & substantia inextensa erit contradictio in adjecto uti loquuntur Logici; Substantiæ ergo (qua tali necessario extensæ) superadditur illud imprimis τὸ *vivere*, seu *vita gaudere substantiali*, cujus vitæ, seu cujus substantiæ quatenus vivæ, actus sit τὸ illud cogitare, seu substantia spiritualis cogitat quatenus viva, seu quatenus actionem specialem vitæ suæ congruam exerit; neque enim semper cogitat Mens (uti placuerit *Cartesio*, qui ejusdem essentiam in cogitatione constitutam esse voluerit) licet semper vivat; Cogitationis species sunt *Intelligere* & *velle*, vitæ autem hujusce actio altera specialis est αὐτοκινησία, voluntatem seu volitionem immediate consequens; motus enim spontanei vitam Corporis seu Animalis Mechanice consequuntur; Rationem interim operationis in actu cogitandi vel nemo, quem mihi vidisse contigerit, nisi valde perperam, aut valde paucis, admodum aggressus sit; Ea quæ hac de Re post se reliquerit *D. H. Morus* sola mihi visa sunt posibilia, sed non satis explicata; cætera omnia minimum

vel

vel soliditatis vel veri sive etiam possibilitatis secum afferunt; Quæ ipse hac de re olim cogitaverim de Natura Mentis possibili, & modo Cogitandi unice & revera inextenso, licet non ut stricte demonstrata trado, tamen qualiacunque sint tibi nunc explicaturus sum. Suppone ergo a Deo creari posse substantiam extensam, penetrabilem, seu potius penetrativam essentia vivam (Dimensionum enim penetratio a Scholis explosa nisi inter Corpora, seu ἀντιτυπικῶς extensa nihil omnino valet aut significat) cujusque vitæ Energia particularis sit cogitatio, seu τὸ illud cogitare; actio ista in qua cogitatio consistit per modum actionis inextensæ (ad instar fere conatus in Materia) concipi possit, veluti autem conatus in Materia ab extra semper oritur, & sine motu, aut causa continua, seu agente perpetuo, uti a gravitate in Ponderibus, attractione, &c. momentaneus tantum est, seu ultra momentum non durat, sic e contrario conatus hicce spiritualis, seu actio vitalis, durabilis est, & Continuationis capax; agere enim intra seipsum & sine extensione est energia non Modificato-

ficatoria seu Materialis, sed vitalis, reflexionis perpetuæ quandam Speciem exhibendi capax, qualem intra nos cogitando experimur: Quinetiam & actionem extra se posse imprimere seu exerere, & in alia transferre (v. g. in spiritus animales, si tales existant, vel particulas quasvis minutas) facultatem locomotivam exhibet, & αὐτοκινησία non principio, sed effectu, merito audit; Vim autem spirituum seu quarumvis particularum ita motarum explicare problema est Physico-Mechanicum, neque hujus loci. Prior est conatus intra tendens, posterior extrorsum motum excitans. Cogitatio est conatus essentialiter vitalis & qua talis durabilis, seu conatus durabilis intra inextensionem; qui nihilominus motum spiritibus imprimere valeat, & hoc modo etiam extra seipsam agere, eodem momento quo intra seipsam pariter Reflectendo cogitat; extra seipsam agere est motum extrorsum spiritibus Imprimere, & αὐτοκινησίας Principium Voluntarium, motus autem spontaneus ab aliis causis Physico-Mechanicis oriri possit.

1. Mens ergo in isto Conatu durabili seu

seu actione (quem cogitationem nominamus) adminiculo Objecti externi (vel etiam modis aliis fere innumeris) intra seipsam ideam suam apprehendendo versat, versatamque contemplatur, & in contemplatione pergendo h.e. conatum suum continuando, discursum instituit durabilem, seu ratiocinatur ; conatus ergo iste durabilis est actio Animæ in cogitando Physica & fundamentalis, ipsa autem Apprehensio est actio Vitali-formalis, seu specificativa Cogitationis.

2. Hæcce Actio continua intra inextensionem Mechanismo & motui corporeo utcunque modificatis prorsus contraria-tur, & per motum, (sive rectilineum, sive uti vult *Cowardus* circulatorium) nullatenus explicari possit, multo minus ipsa perceptionis natura formalis qua talis, quæ speciem quandam intuitionis incorporeæ, & comprehensionis per motus quoscunque Physicos non solum inexplicabilem, sed & contrariam seu inconsistentem non obscure loquitur : Et ex hac-ce vita essentiali potentiæ hujus percep-tivæ & (si ita loquar) Anti-mechanicæ fundamento, Individuatio Mentis post mortem

mortem remanens, seu ejusdem Immortalitas Naturalis petenda est, & in eadem fundatur, quod ulterius confirmari possit.

3. Ex Natura Objectorum quorundam mentis, uti veritatis Moralis quæ undecunque oriatur, in Materiam tamen vix aut ne vix quidem queat cadere, neque ab eadem percipi possit, hujusmodi sunt relationes omnes præcipue terminorum Abstractorum, hoc est abstractio in secundo gradu, cum enim ipsi termini sunt abstracti, eorundem relationes erunt quasi Abstractionis abstractio, e. g. Relatio inter Justitiam & Misericordiam, inter Jus & Injuriam, cæteraque Innumera, ut & notiones omnes Logicæ & Ontologicæ, &c. Ut & ipsa illa Conversio *Hobbiana Arboris in syllogismum* Doctrinam ejusdem de Mente humana prorsus subverterit.

4. Veritas Objectiva Metaphysica seu Pneumatologica, præcipue autem Cognitio Dei Infiniti & Æterni in Materiam non cadit; quæ quidem Cognitio, non obstantibus iis quæ imperiti quidam obgannire vellent, Maxime positiva est & certissima, uti alibi demonstravimus; &

quidem

quidem quodam modo ſimilem eſſe Naturam apprehendentis & rei cujuscunque ab eadem apprehenſibilis, ſeu aliquid commune & ſimile inter easdem (ut percipiantur) dari ſemper neceſſe eſt, uti alibi fuſius explicabimus. Infinitas porro actualis, neque quidem Negative (quoad ejusdem exiſtentiam) ſed maxime poſitive concepta, & ejusdem criteria quæ Divinam Naturam a rebus omnibus diſtinguunt cum objective Menti contemplanda ſiſtuntur, Quonam quæſo modo in percipientem Materialem cadent, vel quonam modo percipiens Materiale dari omnino poteſt? ſed interrogabimur forſan quid ſit materia? Quid ſi ſolummodo reſpondeamus quod ſit res cujus partes internæ (monadis ſeu ſolidæ uniuscujusque portionis) relative inter ſe quieſcunt, actionis omnis eſſentialis ſeu naturalis expertes, & ſibimetipſis mutuo, & omnibus pariter ἀντιτύποις ab extra advenientibus, ἀντίτυποι exiſtant, Alterationis omnis internæ ſine actuali diviſione incapaces, unde vita careat ſubſtantiali neceſſe eſt, quam ubique ad naturam cogitationis neceſſariam ſuppoſuimus.

mus. Rursus materia Modificata, seu systema quodvis particularum Materialium ob actualem discretionem partium, unitatem & omnimodam Uniformitatem in cogitatione necessariam respuit; Ut cogitans enim seu percipiens unum quid sit essentia necesse est, neque sat'erit consensus partium discretarum, seu Harmonia nescio quæ partes cohæsione unitas pervadens; perceptio enim omnis ex unitate naturæ percipientis profluit, & in totam percipientem diffunditur, sed & in minimo consistere possit circuitu, unde notio (credo) inextensionis inter cæteros (hujusce chimæræ fontes) cum primis emicuerit; per amplitudinem autem aliquam seu aliqualem extensionem, nunc majorem, nunc minorem etiam in ipsa percipiente Idea vel Imago vel utcunque conceptus rei extensæ diffunditur; neque enim idea extensi (quæ in seipsa extensionem aliqualem involvit) in inextenso delineari, depingi vel ullo modo (ab inextenso) percipi possit; & sine modo quodam depingendi, seu pictura aliqua etiam in ipsa percipiente (non solum in nescio qua Imaginaria

Ima-

Imaginatione) non datur perceptio, & hinc eſt quod diximus aliquid ſimile debere dari inter rem perceptam & percipientem; ut rem ergo ſummatim exhibeam, ſic eandem accipe.

1. Mens ſeu Anima eſt ſubſtantia extenſo-ſpiritualis & αὐτόζωον, &c. facultate agendi a ſeipſa, reagendi in impreſſiones ab extra, & actionem & reactionem iſtas (contra quod in materia accidit) continuandi prædita.

2. Cogitatio eſt actio vel reactio (intra inextenſionem) ſubſtantiæ hujuſce extenſo-ſpiritualis aliquandiu continuata & pure activa, vel activo-paſſiva, ſeu reactiva, prout objectum cogitationis vel a ſeipſa primario exerta eſt, vel impreſſa ab extra, neque hic de actione & reactione materiali loquimur, licet eadem verba uſurpare, & ab una ſubſtantia ad alteram transferre neceſſe ſit, veluti reipſa natura fit.

3. Mens ſeu Intellectus quatenus objecta ab extra recipit, ut paſſivum quid, ſeu uti recipiens, conſiderari poſſit; poſtquam autem recepta in ſe amplexa ſit, ſpiritualiter (intra inextenſionem) in eadem

dem reagit, hoc est ut activum quid seu ut cogitationis actum suæ naturæ intrinsecus congruum, exerens considerari possit, quatenus denique reactionis continuativa, naturam suam spiritualem, seu genium anti-mechanicum & αὐτόζοον exprimit atque ostendit, (ne dicam demonstrat?)

4. Hisce quarto adde cogitationem intendi posse & remitti *pro lubitu*, & intensionem istam vel continuari vel subito interrumpi posse pariter *pro lubitu*; & variationis cujusvis arbitrariæ, suspensionisque judicii, esse capacem, sed & porro reflexionis in seipsam, qua sui ipsius, uti in hacce Epistola, devenit quodammodo Idea, quæ omnia genium ejusdem Anti-mechanicum, seu incorporeum, satis mihi videntur ostendere. Sed pluribus nunc supersedebo, *&c.* qui sum, *&c.*

VVestmonasterii, 14. Decemb. 1709.

EPISTOLA

EPISTOLA SEXTA.

Ad Eundem.

Amice plurimum colende,


IN Novissima quam tibi misi Epistola de Natura Animæ fusius egerim, ea quæ ulterius hacce de Re dicenda restant, paucis hisce accipe.

Si Ens tale seu talis Substantia qualem in Præcedenti delineavimus Extenso-Spiritualis, finita, αὐτόζωος, αὐτοκίνητος seu vita substantiali prædita, a Deo Creata supponatur, & (sive præextiterit, sive Corpori Coætanea producatur, non refert) Corpori suo Physice vivo & Organizato superinfundi seu alligari, intelligatur, annon Tale Phænomenon exhiberet quale est homo? Annon Ipse homo tale sit Phænomenon in hisce terris existens? quibus quæso Criteriis hujusce rei veritas dignoscatur ac demonstretur? Quid inde sequeretur? Aliquid proculdubio non solum a Mechanica Materiali, & Legibus Motus diversum, sed & iisdem prorsus contrarium, & cum Natura Materiæ & Motus, & Legibus eorundem (quoad nobis

bis innotescant) plane ἀσύστατον; uti in priore insinuavimus; Et hinc exinde τὸ Criterion illud tam desiderabile petendum erit, modo demonstrationis omnino Capax reperiatur. Siquidem Animæ Crasis Materialis seu Mechanismi non sit resultus, sed eidem magna ex parte Contrariam, seu ab illo plane quid diversum, uti ex considerationibus jam positis patere videtur, erit quidem eadem ab Authore Naturæ immediate producta, seu creata; omnia autem a Deo Creata non nisi a Deo Annihilante possunt destrui, & si modum loquendi a Cabbalistis mutuari Liceret, solus terminus *factionis*, hoc est Mechanismi Naturalis, erit quoque dissolubilitatis terminus; Modificatio solum ex præexistentibus Principiis disjungi, divelli, seu utcunque discerpi, & in Principia sua resolvi possit. Terminus autem omnis Creationis erit Naturaliter indissolubilis, seu sola eadem qua producta est potentiâ retracta in nihilum redigendus; Naturaliter quidem perennis erit & indivisibilis; divisibilitas quippe (uti alibi adnotavimus) soli Compositioni respondet; neq; omnino probari possit materiam vel

ullum

ullum Creationis terminum, qua talem, eſſe diviſibilem quantamcunque extenſionem habeat; Corpus quidem (uti ſunt omnia quæ tractamus) quatenus e Corpuſculis (fluida forma primum exiſtentibus) Coagulatum & conglomeratum in Corpuſcula reſecari & diſſolvi poſſit. Tota illa Scholarum Farrago de diviſibilitate Materiæ aliter quam Mathematice accepta præjudiciorum maxime puerilium congeries eſt; neque enim diviſibilitatem extenſi abſtracte ſumpti Mentalem ſeu Mathematicam ſequitur diviſibilitas Materiæ ſeu entis realis. Hoc quidem modo argumentatur nuperrimus de Anima ſcriptor, ſit v. g. linea Extenſa ab (*a*) ad usque (*b*), (*a*)



ergo a (*b*) *actu diviſa eſt* per partes, *c*, *c*, *c*, &c. ſeu per partes interpoſitas; ergo. &c. Sed ego regero *a* ad *b* unitam eſſe per partes iſtas interpoſitas, ergo *a* & *b* uniuntur per Diviſionem, quam argute hoc ſonat perpendat quilibet; ſed mira hinc Myſteria ſequuntur quæ ſuis autoribus reviſenda relinquo. Anne hujusmodi argutiæ pro ratione admitti debeant?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [135] - 131

Hoc modo Caput Dom. *M—lls* actu divisum est a suo corpore per collum scil. Interpositum; Ergo jam Capite *Actu Multatus est* Dom. *M—lls;* sed ut ad rem redeam, substantialis vita mihi videtur unicum esse posse cogitationis substratum, unde & res quæ cogitat videtur esse substantia, unica ac indivisa, percipiens & per omnia sibi conscia, alteritatis omnis atque extensionis ἀντιτυπικῆς prorsus expers, seu variarum & differentium idearum successive Capax, ex sua Natura activa, &c. quæ omnia a sola vita substantiali resilire posse mihi videntur; quippe cogitationis natura plane repugnare videtur relativæ partium Indefinite parvarum seu inassignabilium (in Materia) inertiæ, ἀντιτυπίᾳ, seu vitæ carentiæ; neque licetMateria Infinite comminueretur, Cogitationis tamen capaces devenirent ejusdem particulæ, vel separatim, vel conjunctione seu modificatione quavis unitæ & conformatæ; neque resultus ullus Immaterialis (uti innuit *Cowardus*) e Modificata quomodocunque Materia ultra vel supra Materiæ potentias Naturales & uniformes educi unquam poterit:

sin

ſin equidem, ut res aliter ſe omnino habeat, dicatur adhuc poſſibile, ſique in articulo Mortis uti *Lucretius* cum cæteris *materialiſtis* vult

Omnia deficiant, atque uno tempore deſint.

Firmo tamen talo ſtat Reſurrectio veritati S. S. S. innixa, quam rationes nullæ ſanæ ſatis convellere unquam valituræ ſunt. Hypotheſis autem Immortalitatis Naturalis majorem ex ſua parte probabilitatem ſortitur, & ſemper, nullus dubito, ſortitura eſt; neque de rebus poſſibilibus ſolum & finitis (ſi veræ ſunt) abſoluta haberi posſit demonſtratio, præcipue inter eos quos rerum creatarum eſſentia intima ac adæquata prorſus latet, & forſan in æternum latere neceſſe eſt quodcunque a quibusdam vane prætendatur, qui Impoſſibilitates & Chimæras loco Demonſtrationum orbi propinarunt. Sum, &c.

POSTSCRIPTUM.

Sic inter non-ens ſeu naturam inextenſam, & materiam ſeu naturam impe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [137] - 133

netrabilem, constabit anima, neque quidem magis obstabit non entitas Naturæ cogitationis quam impenetrabilitas; uti hæc non possit esse subjectum proprietatis alicujus, sic neque illa cogitationis, atque uti ἀντιτυπία non necessario substantiæ extensæ finitæ (qua tali) competit, sic neque cogitatio. Sed uti ἀντιτυπία seu soliditas (quodcunque sit) impenetrabilis naturæ substantiæ extensæ superaddita, materiam efficit incogitativam & inertem, seu massam corpoream; sic si loco ἀντιτυπίας vita essentialis substantiæ extensæ superaddatur, basin habebis cogitationis, seu cogitatio possit esse illius vitæ actio seu effectus, cui ἀντιτυπία non conveniret seu prorsus esset contraria; uti inertia Massæ ἀυτοκινησία, seu Naturæ activæ. Hinc tandem differentia Spiritus & Materiæ oriunda est. Sicque demum (uti jam alibi demonstravimus) substantia extensa, penetrativa, & absolute infinita, prototypῶs cogitativa, necessario existit ab æterno; Substantia extenso-ἀντιτυπικὴ quidem existit (ab alio) sed nequeat cogitare; substantia finita extensa penetrativa & existit & cogitat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [138] - 134

tat, substantia inextensa neque existit, neq; quidem possit existere, multo minus cogitare; ex unitate denique essentiali, seu summa simplicitate Naturæ hujusce extenso-spiritualis, ex eo quod sit terminus *Creationis* non *factionis* seu *compositionis*, resilit ejusdem *Indissolubilitas* seu *Immortalitas Naturalis*. Neque hisce refragatur S. S. Scriptura, cum de Corpore spirituali loquitur, quod sensu *Inextensionalistarum* esset *corpus inextensum*, quod quidem est contradictio. Sum, &c.

VVestmonasterii, 20. *Decemb.* 1709.

EPISTOLA SEPTIMA.

Ad Eundem.

Amice plurimum colende.

IN præcedentibus, ea quæ de Natura animæ Physice Explicanda disseruimus, satis Luculente, ni fallor, proposuimus, restat solum ut quædam quæ ad ejusdem actus pertinent adjiciamus, & id quidem breviter in hacce Epistola complectemur; partim quidem quia jamjam in Scholio quodam Tractatus de Deo eadem

attigerimus; partim autem quia aliter quam breviter eadem proponere, ut ab aliis examinentur, & tempus nostrum, & prolixe scribendi aversatio, utrinque prohibent.

Omne quod existit Deum quodammodo refert, uti in Tractatu de Deo demonstravimus; perfectius autem creaturæ rationales seu cogitantes, quæ solæ, qua tales, felicitatis aut Miseriæ sunt capaces, cumque Deus sit omnigenæ verioris felicitatis summa perfectissima & Infinita uti ibidem ostendimus; in eo fons Miseriæ Naturalis primario fundabitur, quod creatura aliquo modo deficit a summa illa, Cujus natura sua sit capax, similitudine ad suum Conditorem; cum autem illa in *similitudine* sua *Physica* seu potius *entitativa* fundari nequit, uti neque in *rationali* qua tali, ut ergo in *Morali* (quæ unice restat) fundetur necessum est; Imago Dei Naturalis, quatenus rationalis, in cognitione veritatis consistit & eadem perficitur, cui solum error opponitur; quatenus autem *Moralis*, in Conformitate Voluntatis perfecta ad ea omnia quæ sana ratio dictitat, adeoque ad ea omnia

quæ

quæ a Deo præcepta sunt, & in similitudine completa seu perfecta consistit ultima creaturæ felicitas Naturalis atque æterna; quæ quidem felicitas in Libertate mentis originarie fundatur, quæque Libertas nihil aliud esse invenietur quam potentia *Integra & illæsa* agendi secundum Rationis suæ dictamina; *Posse* quidem *Rationem sequi* est *Libertas* in suo Principio, *Rationem* revera *sequi* exercitium est istius Libertatis; *Posse non Rationem sequi* finitudinis in creatura rationali Corollarium est; *Non posse Rationem sequi* est servitudo mentis maxime deploranda; Conscientiæ recti *posse contraire*, Conditio est Naturalis Enti omni finito, qua tali, seu ex ratione suæ finitudinis, adhærens adeoque a Natura entis finiti inseparabilis, quia non eidem, competit esse necessario (hoc est infinite) seu ex sua Natura Indefectibiliter bonum; Quousque ergo ens rationale (seu rationem habens) secundum suæ naturæ leges (hoc est ex ratione) agit, libere agit, seu liberum manet, seu agit a seipso; cum autem aliunde adversus suæ rationis dictamina ad agendum determinatur,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [141] - 137

revera patitur, seu agitur ab extra. Hinc origo mali, Hinc origo omnium miseriarum, quæ mortales efficiunt vere miseros, primario ducenda est; Hinc superbia (seu nimia sui ipsius existimatio) hinc Libido, Avaritia, Ambitio, Vana Gloria, Iræ atque contentiones vulgares, hinc omne denique malum; unde patet quod Præparationes illæ omnes quas *Theologi* e *S. S Scriptura* ad Dei fruitionem necessarias esse prædicant, nihil revera sunt nisi tot præparationes Naturales, seu quas Ipsa Rei Natura postulat & ab origine postulaverit, licet conditiones & media eo tendentia, quæ a Deo Revelata sunt, aliunde (ab Infinita scil. Dei bonitate) pendeant; Pravi enim habitus, & malæ consuetudines quibusdam (ne dicam omnibus) evaserunt ex usu naturales, & (fere vel plusquam fere) insuperabiles; hic autem non de *Labe Naturali* quidem Theologorum agimus, quæ huc non pertinet, sed de ea quæ ex illa quidem oriunda, repetitis actibus confirmatur, & in habitus evaserit fere indomabiles, undeque amissum quidem Rationis habitum recuperare, multo minus novum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [142] - 138

vum, inſolitum, ſeu nunquam Uſitatum, inducere, *hic labor, hoc opus eſt;* Deus profecto ſecundum perfectiſſimas ſuæ Naturæ Leges, ſeu æterna ſuæ rationis (ſub notione voluntatis conſideratæ) utcunque decreta, maxime neceſſario, hoc eſt quam Liberrime, agit; ſolus enim a ſeipſo, hoc eſt, ab Infinita ſuæ Naturæ rectitudine nullo modo poſſit deficere, eo enim ipſo deſineret eſſe quod eſt, *Ens ſumme neceſſarium, ſumme perfectum*, ſeu *abſolute Infinitum;* Ut autem ex electione ſint bona, ſiquidem omnino bona ſint, entia omnia finita neceſſe eſt; electione autem recta agere, & rationi rectæ obtemperare, idem prorſus ſonant; uti rationi adverſari, & electione prava determinari, cum τὸ *pati* coincidunt; & redeuntibus ad ſanum rationis uſum quo quid cœptu difficilius eſt, eo erit in acquiſito habitu, gratius atque jucundius; neque alia patet via Naturalis ad ſummam Naturæ Rationalis felicitatem & perfectionem, hoc eſt ad ſummam Dei ſimilitudinem, quam quæ per rectæ & incorruptæ rationis uſum (quomodocunque vel undecunque) acquirenda

renda est; Hoc enim habet in se passionum pravarum Natura peculiare, ut eodem tempore quo homines alliciunt, aliquo modo aut fallunt, aut saltem torquent; hoc autem sibi peculiare vindicat ratio, ut complacentia quadam Intellectuali repleat, ac replendo perficiat. *Pœnitentia* pravæ passionis *effectus Naturalis* est, & ex (hypothesi Immortalitatis) irreclamatæ *æternus;* Naturalis, inquam, quia ab idea semper quid deficit ideatum, secus prorsus ac in rectæ rationis usu contingit, ubi semper existunt commensuratæ, nisi hoc illam (scil. spem Eventus) omnino exuperet, quod sæpissime evenire norunt constanti virtutis usu edocti, præcipue autem in supremo rerum exitu. Sed hæc omnia (in Labefactata saltem praxi) ad me magis quam ad te spectant, uti plusquam satis novisti; quapropter otia tua Interturbare nunc desino, qui sum

E villa (vulgo dicta) *Marybone, 16. Martii 1709.*

Tibi ex asse Devotissimus &c.

EPISTOLA

EPISTOLA OCTAVA.

Ad Eundem.

Amice plurimum Colende.

INter eos qui de statu Naturæ Scripsere, uti mihi visum est, nemo veritatem hactenus attigerit, in extremis sunt omnes, & perpetuo *incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim*; a parte rationis stetere *D. Cumberland* & *Pufendorf* multique alii, & Plerique Theologi; a parte *bruti*, *Hobbius*, & *Spinosa*, & plerumque *Matchiavellii* sequaces, uti & *Ovidius* olim in sua *Metamorphosi*; Posteriores autem multo propius ad verum accesserunt quam priores; qui nescio quomodo, refragantibus licet S. S. S. homini jam Lapso & in Deum Rebelli, honores persolverint qui soli Paradisiaco deberentur; statum Naturæ Integrum somniant, non eum, quocum nascimur in hoc mundo, Labe naturali contaminatum, ab incunabulis ad nequitiam omnem sceleraque innumera pronum, pasionibus maxime obnoxium, iisque sibi invicem plerumque contrariis, vel etiam, si consentiant, sibi mutuo

mutuo sæpissime in rivales evasuris. Unde homunculi, ad instar *Cadmæorum* fratrum e gleba prosilientium, uniuscujusque suæ Libidinis studiosi, sese mutuo quasi quotidie insidiis adorirentur, & ni prohiberent Leges, revera jugularent. Homines, mi Amice, non rationales nascuntur, sed fiunt, siquidem omnino fiant, quod raro contingit; Cum principio quidem rationis nascuntur, sed id raro in actum omnino, rarissime in uniformem & continuum, prorumpit. Status ergo naturæ (quia & ipse homo) revera mixtus esse mihi videtur e natura scil. rationali & bruta; hoc est, neque status est puræ pacis, qualis esset pure rationalis; neque puri belli, quia brutalitatem sibi ascivit ex labendo Homo, & ex statu libero in servitutem, e rationali in brutum, e Divino in semi-diabolicum, h. e. humanum degeneraverit. Passiones (quibus unusquisque subditus est) non necessario & semper sibi invicem occurrunt contrariæ; h. e. non semper ad bellum permovent. Sæpius autem prævalent Affectus humani quam quos aut ratio aut leges cohibere valeant; Et datur

tur hinc vel inde ad aliena desiderium vel alterius in alterum odium, iræ, vel etiam æmulatio, quæ, nisi coercerentur a Legibus, in bellum prorumperent, non quidem (uti voluerit *Hobbius*) omnium in omnes, sed pedetentim unius vel plurium in unum vel plures, donec pacta a ratione vel necessitate tandem urgente Interponerentur, sique jam sancitis legibus, vix *Hospes ab Hospite tutus*, Qualis quæso status foret is, qui prorsus esset exlex? Apud *Americanos* quærendus quidem, sed vix inveniendus est. Hujusmodi status nullis magis nude, hoc est magis vere apparet quam *Vobis* Legum Interpretibus, *Vobis* quidem nudus naturæ status, *Theologis* fictus & simulatus plerumque se visendum præbet & nisi & *Ipsi* homines essent, humanum genus maxima ex parte ignorarent. Omnis quidem Societas seu Civitas ex hoc statu emergens ad stabilimen perpetuum in constitutione sua eo propior aut remotior est, quo securis magis aut debilibus, hoc est, dissolubilibus fundamentis nitetur; & quatenus commodis humani generis & securitati Regentium in unum

quid

quid coaleſcendis Conſervandisque a primaria ſua inſtitutione Conſulit cavetque, eo firmior & durabilior futura eſt. Ex hac autem ſtatus Naturæ Conſideratione Triplex civitatis ſtatus generalis oriri intelligatur; neque hic loquor de Formis Regiminis, ſed abſolute de Regimine; Primum Regimen erit eorum qui Ratione ducuntur, hoc eſt eorum qui Regimine minime carent; ſed ſibimet ipſis Lex ſunt, quale ſolum extat in Regno Cœlorum; Secundum erit eorum hiſce directe oppoſitorum, h. e. eorum qui ſolum paſſionibus ducuntur vel potius impelluntur, quibus idem eſt *vivere* ac *pati*, inter quos ſceleſtiſſimi, hoc eſt ſceleſtiſſimis paſſionibus Obnoxii ſola vi & minis regi poſſunt, quique quod non peccent ſola formidine pœnæ deterrentur; Hi ſola vi pura & quaſi Mechanice regi poſſunt aut flecti uti Latrones plerique & id genus alii, terris merito Extirpandi, & proprio eorundem Domino Tenebrarum Principi ablegandi; Tertium itaque erit mixtum quod quidem Terreſtre eſt, & quo propius ad primum appropinquat, eo Divino ſimilius eſt, & Liberos non

ſolum

solum melius regit sed & efficit; commoda autem quæ etiam Regentibus inde resiliunt incommodis (quibus forsan non careat) longe præponderant; veluti in *Anglia* ubi Lex inter Rectorem & Regendos intercedit, non Nomen inane est *Jura Populi*, ut in gentibus quibusdam vicinis. Quo denique propius ad secundum Regimen quodvis accedat, eo propius ad Tyrannidem existimandum est accedere, licet aliquando a Tyranno non administretur; Hoc quidem servorum est, illud Liberorum; Libertati Populi simul ac securitati Regentium imo & veriori eorundem gloriæ hocce accommodatur; Ambitioni, sed & impendenti periculo alterum; Quippe amore populi quam Timore Tutior est Princeps; Neque quidem satis admirari possum quorundam deliria, Populum veluti propter Principem Natum, existimantium; Hoc quidem si obtineret, ut Proprietas ejusdem Personalis æstimari, & in usus suos sive privatos, sive publicos, flecti prorsus deberet; hoc est sive Libidini suæ sive Ambitioni utcunque immolari; & hisce *jus* quorundam *Divinum* perpetuo prædicari

dicari deberet hiſce hæreticum rationis uſum, & Literarum Commercium præſcindi maxime expediret, uti hodie apud Turcas ſolenne eſt; ſed & porro inter Regiminum Formas nulla ad Opprimendum magis adaptata eſt, & ſimul ſecurior in oppreſſione evaſura, quam Popularis; Hæc eſt Hydra quædam multiceps ubi, ut in ramis illis Infernalibus,

——— Uno avulſo non deficit alter
Ferreus, — — — &c.

Principes autem quibus in Bonum Publicum naſci vel (utcunque) eligi a Cœlo Datum eſt, quo magis ad Publici (quatenus Publicum a factionibus vel Partibus quibuscunque abſtrahitur) ſalutem collimant, eo ſemper magis ſacræ æſtimabuntur eorundem Perſonæ, eo magis a ſuis vivi colentur, eo denique magis ſui Deſiderium etiam apud Poſteros relicturi ſunt; Neſcio annon ab eodem Præjudicio nos duci a quibusdam exiſtimabimur quo ille olim

Neſcio qua Natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, &c. — — — —

ſi, quod ſatis novi inter nos convenit, illud

illud sub quo nobis nasci contigerit Regimine, inter omnia quæ unquam tam apud Antiquos quam recentiores Mundi hujusce Incolas, quorum Fama unquam ad nos pervenerit, optimum esse existimemus, & jure merito præferendum, & jam etiam sub optima omnium (ne dicam etiam Possibilium) Principe administrari, &c.

Sum tibi, &c.

POSTSCRIPTUM.

Utinam Libellum istum Nobilissimi Tui Progenitoris *D. Fortescue* olim *Angliæ* summi (in Banco Regis) Justitiarii, & postea Cancellarii, quem apud Te premis in posterorum gratiam luce publica donares.

EPISTOLA NONA.

Ad *G. T.*

Mi Amice,

QUod tibi a te discedens nuperrime promisi scil. præcipua capita, quæ mihi veritatem Religionis Christianæ evin-

evincere videntur, qua possum brevitate enarrare, rem jam aggredior, in quantum brevis Epistolæ limites patiantur, quamque cum vicino tuo Dom. *C. F.* quem nuper in Deistarum Castra transfugisse exaudio, si placeat, communicare possis; ea quæ veritatem Historiæ Gestorum a *Christo* & *Apostolis* spectant, hic non attingam, ea etiam satis ab inimicis Religionis Christianæ *Juliano*, *Porphyrio*, &c. Antiquitus agnita sunt, neque dubito quin summam eorum quæ ab *Eusebio*, *Huetio*, &c. congesta sunt jam diu videris; quæque ab amico meo singulari Dom. *H. Ditton* Lingua vernacula cum singulorum testimoniorum expensis Certitudine & Momentis brevi visurus sis; Quibusque positis, quid Quæso, De Persona horum omnium Authore censendum erit? Εἰκὼν illa vere θεαὴ in ejusdem Vita adeo conspicua, & summa cum humilitate conjuncta, & uti diximus, ab inimicis suis toties, tamque refractorie, agnita; summa denique congruentia Ipsius Doctrinæ & Præceptorum cum Divina Natura & attributis ejusdem demonstrabilibus, neminem nisi *sceptsi* Universali labo-

laborantem, aut bonitatis omnis inimicos, & nomen Chriſtianum ex præjudicio exoſos, reclamantem reperire potuiſſet, aut etiamnum poterit.

Ut quædam autem de puritate Doctrinæ Chriſtianæ, & ejusdem cum Natura Divina congruentia connotem, quid Quæſo magis Deo Conſimile, magisve Deo Dignum, ex ipſo Cœlo deſcendere potuiſſet, quam hæ Inſtitutiones Vitæ ſacræ quas Novo Teſtamento comprehenſas legimus, & quotidie transgredimur. Fines omnes Mundanos cum primis posthabet & plane rejicit, & remunerationem in Regno Cœlorum, h. e. poſt mortem manere ejusdem Proſelytas juſſerit; ſpem omnem & felicitatem terreſtrem prorſus præcludit; neque hujusmodi præcepta vel minimam veriſimilitudinem habue-re, ut appetitiones humanas & vota Mortalium ad ſe allicerent vel utcunque attraherent; verſutia omni Mundana & aſtutia terreſtri carent, eoque magis quo remunerationes (quas pollicetur) ejus ſint naturæ, ut a perpaucis pro voluptatibus acciperentur; Quid enim fruitio Dei, & ſummæ Rationi Obedientia

æterna cum desideriis terrenis & Cupiditatibus vulgi haberet commune? Hoc potius esset, ut *crucem* in hoc mundo amplecterentur, quo melius discerent in æternum *Crucifigi:* Infinite melius ad Captandum Vulgus, Nigricantes Puellarum oculi, & rutilantis vini inexhaurienda Pocula, æternum Ver, & Immarcescentes Flores in Paradiso a *Mahomete* suis Promittuntur. Abnegatio sui-ipsius perfectissima, contemptus & rejectio (præ Religione) Bonorum Universorum terrestrium, Divitiarum distributio cum pauperibus & Egenis, subvenire aliorum miseriis etiam usque ad rerum suarum Imminutionem, quo opulentiores evaderent in regno Cœlorum, hoc erat (tunc etiam temporis) in plerorunque Utopia, quin & in ipsos hostes qua tales summa benevolentia, & pro maximis etiam injuriis beneficentiam rependere, charitas denique Universalis, & *Perfecti estote sicut Pater Vester in Cœlo perfectus est*, Nobilissimam equidem (quæ unquam Excogitari potuisset) Dei summe Puri, infiniteque boni, imitationem mortalibus proponunt, sed & a Natura humana (qualis

nunc

nunc Existit) etiam maxime generosa nimis alienam; Unde fidem in Eundem firmisimam, ut hæcce peragerent, necessario requirebant; sed & fidei talis vere ac unice Christianæ Necessarii (æque ac suus causæ cujusvis physicæ effectus) fructus erant futuri, & etiamnum sunt, semperque erunt donec ipsa hæcce fides in beatisimam Dei Visionem transeat, in eadem tandem desinat ac consummetur.

Hæc inquam Divinam imaginem adeo referunt redolentque, Divinamque bonitatem tantopere commendant, supra ea omnia, imo & contra genium plurimorum, quæ a Philosophis Prodita sunt, ut suam secum originis cœlestis demonstrationem Conferant; & vel hinc equidem eorundem Author (uti alibi innuimus) merito ab Apostolo dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῦ & alibi ἔικων θεῦ ἀορἀτυ, iste autem *iconismus* missionem suam a Patre suo prototypo satis Evidenter Confirmat; Hinc regnum Cœlorum (seu quale est in Cœlis) a Cœlo inter homines descendisse rectissime dicebatur cum antitypico illo *Melchisedec*, vere & sensu maxime genuino Rege Salem, cujus subditi

diti (novo illo nomine in Apocal. 2, 17. Signati *Charitatis* forsan *Universalis Typo* quod nemo nisi possessor nullius hypocriseos sibi conscius dignoscere valeat) *depositis omnibus passionibus noxiis*, (ut verbis nuperis vere Regiis utar) *nullas contentiones præter eas gratitudinis* ad suum Principem, & mutuæ aliorum erga alios benevolentiæ agitant, neque agitaturi sint in æternum; sed quam longe ab hisce differt pars maxima humani generis, Unusquisque sibi demonstrationi esse possit, & æmulationes odiaque Christianorum mutua ab eo tempore ad hunc usque Diem in Luculentissimam *Prophetiarum Christianarum* Completionem sat' superque ostendunt. Sum

E villa (vulgo dicta) *Marybone, 16. Martii 1709.*

Tibi ex animo addictissimus &c.

EPISTOLA DECIMA.

Ad *Martinum Jubbs* Armig.

Vir Colendissime,

Suppositis iis quæ Orbi jamjam satis Luculenter demonstravit Vir Celeberrimus

rimus & omni Laude dignisſimus *Is. Neutonus;* Theoriam Universi Obtinuimus quæ ſpeculationibus ſatis Probabilibus de Ejusdem incolis anſam ſuppeditare queat; neque credibile eſt tot Tantasque Moles tantum ad Terrellam noſtram illuminandam, vel ad Navigationes noſtras dirigendas fuiſſe Conditas; Libellum hac de re conſcribere non ita pridem dignatus eſt Geometra Clariſſimus *C. Hugenius* ſcil. de ſumma rei Probabilitate; & quorſum quæſo rationes metiendarum diſtantiarum & Geometria nobis conceſſæ, niſi ut inter cætera quibus applicari poſſunt, & quotidie applicantur, etiam ad Universum Contemplandum ejusdemque Authorem eo magis admirandum inſerviant? Proculdubio Immenſa hæc Corporum ſyſtemata, nihil aliud ſunt præter civitatem quandam (ſi ita loquar) Mundorum, in qua Unicam tantummodo domum incolis gaudere Imaginari æque ſtultum eſſet ac in civitate terreſtri. Immenſa Dei bonitas, exiſtentia tot tantorumque globorum huic noſtro hinc inde ſimilium, ejusdemque (variatis variandis) cum hocce noſtro Conditionis, tot argu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [157] - 153

argumenta sunt, rem ex seipsa satis aliunde probabilem, evincentia. Domicilia inquam vastissimæ hujusce civitatis tot familias continent, quot a nobis numerari nequeant, forsan numeris nostris non enuntiandas, quæ omnes Infinitum ejusdem Opificem, sapientissimum sui rerumque omnium tam visibilium quam Invisibilium Conditorem uno ore suspicati sunt ac venerantur, Uno tenore eundem cognoscunt, & cognitum adorant peramantque, & in hac Cognitione, atque in hoc amore vere beatifico, summe sunt felices, exceptis deperditis quibusdam & Rebellibus quæ (relicta Vivæ aquæ scaturigine æterna vereque inexhaurienda) in mille pertusis doliis id cujus minime sint capacia, peranxie quærunt & stolidissime solicitant, & sitim sibi, ipso sitim sublevandi actu, perpetuo creant majorem. In horum Incolarum numerum Recensendi veniunt, quos toties S. S. Scriptura Angelos, diversos Angelorum ordines, & Innumerabiles cœlorum Turmas Memorat; Hinc porro Deus יהוה צבאות (*exercituum Deus*) toties nominatur; Hinc denique telluris nostræ

Incolæ

Incolæ uti *guttula*, & *bilancis pulviſculus*, relatione ſcil. ad cæteros cœlorum Incolas merito æſtimari poſſint. Sed ut paulo ſpecialius de hiſce agamus, cum ex Principiis ante Laudatis apparet Denſitates Planetarum eſſe inter ſe fere in ratione Compoſita ex ratione diſtantiarum a Sole & ratione dimidiata diametrorum apparentium e ſole viſarum, Hæcce, ex comparatione pariter cum iis quæ apud nos fieri videmus, veluti tot Corollaria deducere poſſumus. Suppoſito quod Incolæ ſuperioris Cruſtæ cujusvis Planetæ ſeu ſuperficiei paris vel non multum imparis ſint denſitatis cum ipſa illa cruſta. Hoc inquam ex comparatione carnis noſtrorum animalium cum noſtræ terræ gleba eluceſcat. Unde *Saturnicolæ* & *Jovicolæ* multo tenuioris contexturæ corpora ſortiti erunt quam Terricolæ noſtri; denſitates enim iſtorum Planetarum ut & cæterorum cum hocce noſtro Comparatæ ſunt ut Schemate ſubſequenti exhibentur, viz.

Sat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [159] - 155

	Densitates.	*Dist. a sole.*
Sat. — — —	60 — —	— 953806
Jov. — — —	76 — —	— 520116
Mart. — — —	576, vel 582 — —	152399
Terr. Lunæ. — —	387, & 700 — —	100000
Ven. — — —	642, vel 649 — —	72333
Merc. — — —	1411, vel 1366 — —	38710
Sol. — — —	100.	*Ex temporibus periodicis.*

Hinc etiam apparet exterioris crustæ incolas ut & (si qui sint) cæteros crassioribus vel tenuioribus corporibus constare prout magis a sole distant, vel ad eundem appropinquant; & vix dubium mihi videtur, quin melioris erunt sortis quo tenuiori constant vehiculo, eo scil. (ex hypothesi coalitionis duarum Naturarum in unum animal, scil. animæ seu spiritus & naturæ alterius in alteram influentis corporeæ) eo, inquam, tractabilior erit Natura Corporea, eo rationi Obedientior, eo felicioris sortis animal, eo denique magis ad Naturam (ut cum S. S. Scripturis loquar) σώματος πνευματικοῦ, Corporis Spiritualis (quod uti adnotavimus, sensu *Inextensionalistarum* solæcismus esset & Contradictio in ipsis terminis) appropinquabit; Nos in hacce terra degen-

degentes mediæ sortis sumus, deterioris circumvicini Solis satellites *Venus* & *Mercurius*, qui corporibus valde densis conflati esse debent, & eo profundius in *Hylen* suam esse immersi; eoque minus rationi suæ pro maxima parte obedientes, &c. sed & præter Exteriores crustas, alios globos se mutuo interiores & quasi concentricos vult vir Acutissimus *Ed. Halleius* quibus suos quoque Incolas assignaverit in Phil. Trans. N°. 195. Hisce porro adjici possint ea etiam quæ in Libro suo Nuper Edito de *Completione Prophetiarum* habet sub calcem adnexa Vir celeberrimus *G. Whiston* in dissertatiuncula in qua reperitur,

Hæcce Propositio.

Page 279. Our Blessed Saviour ascended up to Heaven the Evening of that very Day on which he rose from the Dead.

Salvator Noster ascendebat in Cœlum in vespere ipsius illius diei quo a Mortuis resuscitatus est.

P. 279. *As to Nature and Philosophy they own no other*

Quod ad Naturam & Philosophiam attinet, nihil terrarum

Earths

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [161] - 157

Earths but Planets, and no other Heavens, properly speaking, but those Airs or Atmospheres which commonly, perhaps always, encompass the Planets; and whose Properties and Capacities are Wonderful and Surprizing; and such as do the best agree to the Scripture description of Heaven of all other. I mean principally that Air or Atmosphere which in particular environs our Earth, and which I take to be almost always meant by Heaven *in the Sacred Dialect. For what is Heaven, but an Expansum or open place on high, superiour to this Earth, more pure,*

agnoscunt, nisi Planetas, nihil Cœlorum (stricte loquendo) nisi *aëres* istos, aut Atmosphæras, quæ plerumque & fortasse semper Planetas circumambiunt; & quarum proprietates & capacitates valde miræ sunt; & quæ Scripturali de Cœlo descriptioni præ ceteris maxime congruunt. Volo præsertim istum aëra, & istam Atmosphæram quæ terram nostram circumambit, & *Cœlum* sacra Dialecto (ut mihi videtur) appellatur. Quid enim aliud est Cœlum, nisi expansum aliquid, hanc terram ex alto supereminens, pu-

and

and clear and light, than the Regions here below; proper for the distinction between good and bad Creatures, and between the several degrees of those which are good; an Invisible or Diaphanous place, fit for Diaphanous Beings; who tho' it may be they are not without all æthereal or cœlestial Bodies, yet are without such gross and opake ones, as should make them visible to the Eyes of all Animals here below; this seems to be a true, tho' very imperfect account, of Heaven, in the Language of Scripture, so far as 'tis here to be describ'd, before the

rius & levius Regionibus nostris subjacentibus; & quod præcipue aptatum est eo modo, ut distinctio habeatur inter bonos & malos, & inter varios bonorum ordines; invisibilis, aut diaphanus locus invisibilibus aut diaphanis creaturis recipiendis commodus; quæ quamvis forsan non totaliter æthereorum aut cœlestium corporum sint expertes, tamen non crassis iis & opacis indutæ sunt, quæ visui omnium terrestrium animantium spectanda exhibeantur; Hæc videtur esse vera quamvis maxime imperfecta

consum-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [163] - 159

consummation of all things: And this disposition exactly agrees to our Air. The Air most certainly is an Invisible or diaphanous Expansum, *or open place on high, and superiour to this Earth, as every one cannot but confess: 'Tis more pure, and clear, and light, than the lower parts we live in, for 'tis free from all Effluvia, Exhalations, Vapours and Meteors as to all its largest and principal Regions, which are so frequent here below; it has there no Mists or Clouds to interrupt the Light of the Sun in the Day time, or of the Moon and Stars in the*

Cœli, secundum sacras literas descriptio, quatenus hoc loco describendum restat, ante rerum omnium consummationem: Et hæc dispositio ad nostram Atmosphæram exacte quadrat. Aër proculdubio est invisibile aut diaphanum Expansum, hanc terram ex alto supereminens, quod nemo non necesse fatebitur: purior est, & clarior, & levior, inferioribus illis, quos nos habitamus Regionibus; omnium enim expers est Effluviorum, Exhalationum, Vaporum, & Meteororum, (quatenus ad largissimas ejus præ-

Night,

Night, &c. Et *Rursus*, Pag. 290. *The Air is most particularly and exactly contriv'd to distinguish and separate beings of different sorts, since 'tis such a wonderful fluid, as has its density exactly or nearly proportional to its Compression; insomuch that while Water and all other Fluids are of one Consistence and Density every where; so that all kinds of Animals which can abide in any one place of them, can almost equally abide in any other place without distinction, the Air is on the contrary so continually of a different consistence and density, that any material Beings, which by their specifick gravity are suited to one Region of it, are immediately, till their specifick gravity be alter'd, wholly confin'd to that Region, without any posibility of ascending or*

cipuasq; Regiones spectat) quæ apud nos adeo abundant; nullæ ibi nebulæ & Vapores quæ Die fulgorem Solis, aut noctu Lunæ & astrorum lucem interturbare possint, &c. Et *Rursus, pag.* 290. Aër peculiariter disponitur ad distinguendum & separandum creaturas diversorum generum, quoniam fluidum est talis naturæ, quod habet densitatem exacte compressioni ejusdem proportionalem, adeo ut, dum aqua & omnia cætera fluida sunt unius consistentiæ & densitatis in quaque parte, ut omnia genera animantium, quæ in aliquo loco manere possunt, in ullo alio loco eorundem fere sine discrimine manebunt; E contra, Aër est perpetuo diversæ consistentiæ & densitatis, ut omne animans

descending to those other Regions above or below them, to which any other Beings may in the same manner belong. So that if we barely suppose that the Spiritual or Invisible bodies of Souls departed abe suited in fineness and purity to the several degrees of their Virtue and Holiness in this World, they will immediately, by a necessity of Nature be plac'd in different Regions of the Air, end so alone have Commerce with those of their own degree of Virtue and Holiness, and be distinguished and separated from those above or below them; and the purest and finest Bodies will necessarily be in the purest and finest, and most exalted Regions of the same, and every one be hereby dealt with according to their Works, *&c.*

materiale, quod ob specificam suam gravitatem uni ejusdem Regioni adaptatur, statim, donec specifica gravitas mutetur in ista Regione penitus teneatur sine ulla possibilitate ascendendi aut descendendi ad istas alias Regiones quæ sunt supra aut infra, & quæ ullis aliis creaturis possunt competere. Quare si hoc solum supponimus, quod Spiritualia & Invisibilia defunctarum animarum corpora pura sint proportionaliter ad diversos virtutis & sanctitatis suæ gradus in hoc mundo, immediate & necessario ad diversas Aëris Regiones ferentur, & sic commercio fruentur cum nullis nisi iis quibus par fuit virtutis & sanctitatis gradus, & distinguentur & separabuntur ab iis qui infra aut supra sunt;

sunt; & purissima corpora purisimarum altisimarumque Regionum beneficium necessario invenient; & sic quisque secundum merita sua remunerabitur, &c.

Si plura velis consulendus erit Author Qui ad conjecturam hancce probandam aliquot S.S. Scripturæ loca adducit, quæ huc revera respicere videntur: scil. nihil ultra Regiones Aeris significari in S. S. S. per hoc verbum Cœlos; huc facere, *Ephes. 2, 2. 6, 12.* Quod & Angeli adeo nobis propinqui sint, ut *1. Petr. 1, 12.* perscrutari desiderent Mysteria Christianismi; *p. 293.* huc vult ascendisse & hinc descendisse *J. C.* & hic habitare non procul a Principe Tenebrarum, utpote inter Quorum Angelos (Ministrantes Spiritus) tot intersint contentiones; cumque boni Angeli bonorum hominum toties constituantur custodes & quasi satellites; hic locari vult Throcustodes & quasi satellites; hic locari vult Throgelos, Angelos, &c. sub regimine & ditione *Messiæ* longe supra omnes exaltati; huc denique (scil. ad altissimam Trium Regionum) ascendisse sanctum *Paulum.* Hinc (*p. 295.*) se *Stephano* & *Paulo* Ostendisse *Jesum*; huc *Enoch* & *Eliam* fuisse absque Moriendo translatos, & huc post mortem ascendisse *Christum*; Hinc denique *Mosen* & *Eliam* descendisse ad Transfigurationem *Christi*, & hinc descendisse etiam olim *Messiam*, cum antiquitus cum Primævis hujusce Mundi Patriarchis subinde conversatus esset; Hinc animas defunctorum ad amicos suos invisendos (uti inquit

inquit tot historiæ satis attestatæ perhibent) frequenter descendere, &c.

Hic denique omnes hujusce Mundi Incolas corpore denudatos habitaturos usque ad Magnam illam Periodum, *1. Cor. 15, 24. 28.* & *Apoc. 20, 2.* in qua Filius Regnum Deo Patri tradet; a cujus Facie Hæcce Tellus nostra, & Hi Cæli avolaturi sunt, & nullus relinquetur amplius iisdem locus, &c. Hæcce speculatio vel hinc non improbabilis existit, quod Corpus *Christi* spirituale, tum etiam *Mosis* & *Eliæ* & eorum qui simul cum *Christo* resurrexisse perhibentur, in loco aliquo vere sic dicto, & aliquo modo vere Corporeo reperiri necesse est, non in *ubi* spirituum *fictitio* quorundam Metaphysicorum, non in decantata illa & imposibili *inextensa Nullibistarum Utopia;* qui nihil satis spiritualisatum existimant, nisi conceptum omnem posibilem, imo omnem omnino posibilitatem transcendat. Sed quemadmodum Clarissimus *Halleius* ad suam Hypothesin Illustrandam Claudianum attulerit in Persona *Plutonis* de Raptu *Proserpinæ* hisce eandem Consolantis Vid. Transact. Ph. No. 195. 8*bris* 19. 1692.

Amissum ne crede Diem, sunt altera nobis
Sidera, sunt Orbes alii, Lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis Mirabere solem.

Pari jure *D. Whistonus Lucanum* in Partes vocasse potuisset de Morte *Pompeii*, initio libri noni.

At non in Pharia manes jacuere favilla
Nec cinis exiguus tantam Compescuit umbram

Prosiluit

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [168] - 164

Prosiluit busto, semiustaque Membra relinquens
Degeneremque rogum, sequitur Convexa Tonantis
Qua Niger astriferis connectitur Axibus æther
Quodque patet terras inter Lunæque Meatus
Semidei Manes habitant quos Ignea Virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit & æternos animam collegit in Orbes.
Non illuc auro positi, nec Thure sepulti
Perveniunt, illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas Miratur & astra
Fixa Polis vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui Ludibria Trunci.

Sin vehiculo forsan corporeo vel æthereo adhuc gaudeant, uti quidam opinati sunt, non minima forsan inter incommoda vehiculis hisce æthereis, scil. inter damnatos, inveniri possit illud *Lucretii* cum Interrogat

— — — — — — *Qui*
Cum validis ventis ætatem degere possunt?

Uti enim Terrestribus animantibus vehiculum convenit terrestre, ita æthereis (si quæ dentur) æthereum conveniret. Revera si Infernum igne flagrantem inventurus essem illum in sole collocarem, sic & ipsi *Gehennæ* usus insignis præter illum comburendi Impiorum Corpora assignaretur, adeo ut nihil omnino suo usu etiam beneficio destitutum in universo inveniretur. Relationes autem, quas in hisce casibus Universi corpora ad se mutuo habere possint, nos penitus latent.

Sed & porro ex hisce cogitatis *D. Whistoni*, series

ries cœlorum sui respective Planetæ Incolis multifaria responderet ; cogitandum enim esset de reliquis hujusce systematis globis, ubi in unoquoque paria evenire vel proportionalia possint; Recogitandum denique de vastitate immani Universi Corporei Visibilis, & numero systematum nobis non Numerando, in (Corporei etiam Invisibilis) magnitudine nobis in hac terra forsan Incomprehensibili ; & facile concluseris cum Apostolo, Rom. 11, 3. *Quam incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Sed ne prolixior quam angustæ Epistolæ Limites patiantur fiam, Sum tibi

E Villa *Marybone* 27. 7bris, 1709. summa cum veneratione addictissimus.

Jo. Raphson.

CATALOGUS LIBRORUM,

qui

JOH. FRID. GLEDITSCH & FILII, Bibliopol. Lipsiensium, Sumptibus sunt editi.

ADizreitteri *Joann.* Annalium Boicæ gentis, partes III. accessere *Andreæ* Brunneri, *e Soc. Jesu*, Annalium Boicorum partes III. editio nova, novo indice locupletissimo aucta, cum præfatione *Godofr. Guil.* Leibnitii fol. 1710.

Analecta de Calamitate Litteratorum sive Alcyonii Libri duo de Exilio, *Joh. Pierius* Valerianus & *Cornel.* Tollius de infelicitate Literatorum, ut & Barberius de miseria Poetarum Græcorum, cum præfatione D. *Jo. Burch.* Menckenii 12.

Bergeri

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [170] - 166

Bergeri *Jo. Henr.* disquisitio de Matrimonio comprivignorum 4.

Böhmeri *Just. Henn.* Dissertationes juris Ecclesiastici antiqui ad Plinium secundum & Tertullianum 8. 1710.

Bohnii *Joh.* Tractatus de officio medici duplici, Clinici nimirum ac forensis 4.

Campani *Joh. Anton.* Epistolæ & Poemata, una cum vita Autotis ex recensione *Joh. Burch.* Menckenii 8.

Cave *Guilielm.* Chartophylax Ecclesiasticus 8.

Cellarii *Christoph.* Geographia plenior cum tab. Geograph. 2. tomi 4.

Clarmundi *Adolphi* exercitatio historico-critica de præcipuis topicorum explanatoribus cum eorum elogiis 8.

Eyringii *Eliæ Mart.* vita Ernesti Pii, Ducis Saxoniæ 8.

Gravinæ *Jani Vinc.* Origines Juris Civilis, quibus ortus & progressus Juris Civilis, jus naturale, gentium & XII. Tabularum, legesque ac Scta explicantur 4.

Grotius *Hugo* de veritate religionis Christianæ cum ejusdem annotationibus & *Ern. Sal.* Cypriani analectis 8.

de Huyssen Epistolæ, Legationes & Responsa Sigismundi Augusti, Regis Poloniar. 8.

Huberi *Ulrici* prælectionum juris civilis tomi tres, secundum Institutiones & Digesta Justinianea cum additionibus *Christ.* Thomasii & Remissionibus ad Jus Saxonicum *Lüderi* Menckenii 4.

Kederi *Nicol.* Commentatio de argento Runis seu Literis Gothicis insignito; de Nummis Runicis; de Nummis diversis, Suecicis & Danicis; de Nummis Hibernicis 4.

Lancisii *Joh. Mariæ* libri duo de mortibus subitaneis 8.

Libanii, *Sophistæ*, epistolarum adhuc ineditarum centuria selecta, cum versione & notis *Jo. Christoph.* Wolfii 8. 1711.

Lupi, *Serbati, Abbat. Ferrar.* Epistolæ & alia opera cum notis *Stephan.* Baluzii; editio secunda priori auctior 8. 1710.

Pater *Pauli* dissertatio de Germaniæ miraculo optimo, Typis literarum earumque differentiis 4. 1710.

Phocylidis Carmina græca ex Scripturis divinis illustrata

&

& *Ægidii* Menagii aliqua addita a M. *Henr.* Bonick 8. 1710.

Pritii *Joh. Georg.* Introductio in Lectionem novi Teſtamenti 12.

Ramazzini *Bernard.* commentatio de valetudine tuenda; acceſſit præter Indicem rerum, vita Autoris & nova præfatio *Mich. Ern.* Ettmülleri 8. 1711.

Schreberi *Jo. David.* hortulus græcus, continens quatuor Plantaria græcæ eruditionis e Plutarchi Chæronenſis opuſculis, variis floribus referta 8. 1710.

Seckendorfii *Vit. Lud.* Commentarius hiſtoricus de Lutheraniſmo fol.

Siberi *Urban. Gothofr.* Commentatio de illuſtribus Alemannis, quos Magdeburgum a VII. retro ſeculis ad ſe recepit & inde per omnem Europam in publicum orbis commodum diffudit 4. 1710.

Sanctii *Caſp. e Soc. Jeſu*, Commentarii in Librum Job cum paraphraſi; nunc ſecundum prodeunt cum Indicibus & nova Præfatione, vitam Autoris complexa 4. 1711.

Schwarz *Jo. Conr.* liber unus de Mohammedis furto ſententiarum Scripturæ Sacræ 8 1711.

Teſtamentum novum Græcum cum Lectionibus variantibus MSS. Exemplarium & in easdem notis. Accedunt loca Scripturæ S. Parallela & prolegomena; ſtudio *Jo.* Millii; totum opus recenſuit, variis præterea Lectionibus plurium Codicum MSS. novisque Obſervationibus auxit *Ludolphus* Küſterus fol. 1710.


Tractatus Rabbi Samuelis, errorem indicans Judæorum circa obſervantiam Legis Moſaicæ & venturum Meſſiam, quem expectant; opus aureum ex Arabico in latinum translatum 8. 1711.

Wolfii *Jo. Chriſt.* diſſertatio, qua Hieroclis in aurea Pythagoræ carmina commentarius variis in locis partim illuſtratur, partim emendatur 8.

Zawadsky *Caſim.* hiſtoria arcana Regni Poloniæ 4.


)(o)(I, 1589.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 147, [172] - 168



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [173] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [174] - -

GWLB Hannover 35
036 828 84X

[I, 1589]


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [175] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 147, [176] - -


5
10
15
20
cm
A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T U V
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X Y Z
Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard * - Euroskala Offset